This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Class
1648
89

Class 1648.89

Harvard College Library

FROM

By Exchange

13265.26

QUAESTIONES SCAENICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS HARZMANN
HALENSIS.

MARPURGI CATTORUM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXIX.

~~13265.26~~
Class 1648.89
Harvard College Library
Mar. 7. 1902.
By Exchange.

PARENTIBVS SACRVM.

Praefatio.

De Graecorum rebus scaenicis quamvis magna inter viros doctos esset discrepantia, id unum apud omnes fere adhuc constabat, histriones in scaena, chorum in orchestra quae dicitur partes egisse. Sed haec quoque novissimis temporibus paene labefacta videntur. Nam cum primum scholiastarum et grammaticorum testimoniis fretus Hoepkenius [1]) de theatro Attico saeculi quinti comprobare conatus esset simul cum choro histriones in orchestra fabulas egisse, Doerpfeldius doctissimus ille architectus quae in Dionysi theatro Atheniensi et in Epidaurico theatro detexit, illam sententiam confirmasse videntur. Quae si recta essent, permulta quae adhuc de rebus scaenicis viri docti in publicum proferebant, inania facta essent atque eversa. Unde fiebat, ut nos quoque, qui quid ex ipsis fabulis de Graecorum rebus scaenicis concludendum esset investigare coeperamus, quasi inviti ad res archaeologicas produceremur. Neque enim facile fuit nobis minus peritis hanc in rem inquirere, praesertim cum ipse Doerpfeldius nihil de hac re adhuc publicavisset, ut quae Kaweravius in Baumeisteri monumentis [2]) de

1) Iulius Hoepken: de theatro Attico saeculi a. Chr. V. dissert. inaug. Bonnae 1886.

2) G. Kawerau in Baumeister Denkmäler des klassischen Alterthums III, p. 1730 sqq. s. v. Theatergebäude. Ac conferas velim quae de Dionysio theatro disseruerit W. Vischer in Neues Schweizerisches Museum III (1863) p. 69 sqq.

illius inventis affert satis habere cogeremur. Quae cum ita sint, primum quidem Doerpfeldii inventa, quantum possumus, tractare conabimur, tum vero ex ipsis fabulis quid concludendum sit de restituenda Graecorum scaena explicabimus. Neque vero nostrum est Hoepkeni sententiam refutare, qua de re peritiores iam bene meruerint [1]). Maiorem nimirum vim quam scholiastarum testimonia ipsas theatrorum reliquias habere nemo negabit.

---

1) cf. quae protulerit Albertus Muellerus in Philol. Anzeiger XV, p. 525-37 et Iohannes Niejahrus: de Pollucis loco qui ad rem scaenicam spectat in Greifswald. Gymnasial-Progr. 1884/85.

Ac primum quidem de Dionysi theatro agitur, quod Aeschyli temporibus ligneis spectatorum sedibus corrutis lapidibus exstructum fuisse Suidas[1]) testatur. Cuius theatri nullas fere reliquias nisi caveae sedes in Athenarum arcis saxum infossas nunc exstare Kaweravius (l. l. p. 1736) affirmat, ut de scaenae pulpito lapideo illis iam temporibus cogitari non possit. Talis aedificii fundamenta, qualia Dionysi theatri reliquiae exhibent, ad Lycurgi oratoris tempora spectare omnes viri docti consentiunt; quae opinio eis quae de Lycurgo illo tradunt Hyperides, Pausanias, alii[2]) satis confirmatur.

Sed videamus, quid de his fundamentis Kaweravius afferat (l. l. p. 1736): »*das Skenengebäude*, inquit, *besteht der Hauptsache nach aus einem langgestreckten Rechteck, aus dem zwei turmartige Vorbauten herrausspringen, die zwischen sich die Vorderwand des Bühnenhauses einschliessen. Auch zu beiden*

---

1) s. v. *Πρατίνας· ἀντηγωνίζετο δὲ Αἰσχύλῳ τε καὶ Χοιρίλῳ ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος . . . . . ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἱκρία, ἐφ' ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταί, πεσεῖν, καὶ ἐκ τούτων θέατρον ᾠκοδομήθη Ἀθηναίοις.* idem tradit Suidas s. v. *Αἰσχύλος.* Vitruv. VII, 11: *primum Agatharchus Athenis Aeschylo docente tragoediam scaenam fecit et de ea commentarium reliquit.*

2) Hyperides, Sauppe orat. Attic. II, pag. 295 fragment. 139: *. . . . ᾠκοδόμησε δὲ τὸ θέατρον, τὸ ᾠδεῖον, νεώρια.* Pausan. I, 29, 16: *οἰκοδομήματα δὲ ἐπετέλεσε μὲν τὸ θέατρον ἑτέρων ὑπαρξαμένων.* Ps. Plut. vit. decem orat. VII, 4 p. 481 C: *καὶ τὸ ἐν Διονύσου θέατρον ἐπιστατῶν ἐτελεύτησε.* ibidem 3 Psephism. § 5: *. . . . τούς τε νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξεργάσετο καὶ ἐπετέλεσε κ. τ. λ.* Reliqua invenies apud Albertum Muellerum: griech. Bühnenaltert. p. 86 in adn. 2.

Seiten der Vorsprünge setzt sich das Skenengebäude fort, doch springen die Wände hier nicht so tief zurück, wie die Wand zwischen den Vorsprüngen. Erhalten sind ausser Fundamenten noch einige Reste der Schwellen und der Vorderwand seitlich den Vorsprüngen ..... Ein starkes Fundament im Innern des Skenengebäudes hängt vielleicht mit einer Verbindungstreppe zu dem tiefer gelegenen Dionysos-Bezirk zusammen. Von einem Bühnengebäude ist keine Spur vorhanden. Die beiden stark vortretenden Flügel haben vielmehr den Zweck, die temporäre, vermuthlich aus Holzwerk und Leinewand errichtete Decoration zwischen sich aufzunehmen und die Befestigung der Hölzer zu erleichtern ..... Auf Grund der architectonischen Untersuchung muss angenommen werden, dass vor der Zeit des Lycurgos überhaupt kein festes Bühnengebäude existiert hat«. Non inconsulto haec omnia rettuli, ut intellegas, quanta sibi finxerit Kawerawius, cui id tantum concedendum est, domus scaenae Lycurgi theatri nihil nisi fundamenta servari, ut Albertus Muellerus recte demonstraverit (griech. Bühnenaltrt. p. 86) histriones fabulas Aeschyli, Sophoclis, Euripidis ad Lycurgi tempora in ligneo scaenae pulpito egisse[1]). Nam proscaenium[2]) quod Kaverawius appellat, frontem dico scaenae pulpiti quae ad caveam spectabat et orchestram definiebat, qualem nunc exhibet Dionysi theatrum[3]) variis decoratam ornamentis, tertio fere post Christum saeculo exstructam fuisse Kaweravio concedamus necessarium videtur. Graecorum temporibus aedificata proscaenia duo tantum theatra praebent, Epidauricum dico et Oropi Boeotiae quod detectum est, quorum prius secunda nobis fortuna bene serva-

---

1) erravisse Wieselerum (in Erchii et Gruberi Encycl. LXXXIII p. 178) et Carolum Curtium (Philolog. XXIV, p. 271), cum censerent bellorum Persicorum temporibus iam exstitisse lapideam scaenae domum, Doerpfeldii his inventis satis comprobatur.

2) quod rectius ὑποσκήνιον (cf. Polluc. IV, 124) appellandum esse mox videbimus.

3) quod descripsit W. Vischer l. l. p. 69 sq. — Milchhöfer: in Baumstr. l. l. I, p. 190–92. — Albert Müller l. l. p. 89—101; atque conferas Wachsmuth, Stadt Athen im Altherthum. Leipz. 1874. I, p. 593 et 599.

tum tradidit, ut non solum caveae, sed scaenae domus et illius muri formam ac speciem dilucide perspicere possimus. Hic quoque Kaweravio testante (l. l. p. 1739) alae exstant procurrentes, quales in Dionysi theatro invenimus, nisi quod hae minus promineant et unum utraque aditum praebeant in orchestram. Neque deest ille murus, quem proscaenium Kaweravius vocat, intra illas alas extensus, qui compluribus columnis adornatus medio loco magnam exhibet ianuam. Altitudinem huius muri, qui frontem pulpiti cuiusdam conficit, Doerpfeldius invenit pedum Romanorum fere duodecim, ipsius pulpiti latitudinem pedum fere novem, quae bene quadrant ad Vitruvii verba (V, 8, 2): *eius logei*[1]) *altitudo non minus debet esse pedum decem, non plus duodecim.* Eiusdem fere speciei proscaenium Oropi theatrum[2]) exhibet columnis exornatum quas appellant doricis iisdemque alis inclusum, quod medio loco praebet ianuam supra qua inscripta mutilata haec verba leguntur:
ΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΣ ΤΟ ΠΡΟΣΚΗΝΙΟΝ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΙΝ(ΑΚΑΣ).

Hisce monumentis scaenae domus nobis servantur, nam cetera Graecorum theatra postea a Romanis commutata fuisse constat[3]). Tandem vero quaeramus, quid ex his concludendum sit. Kaweravio quidem placuit illum pulpiti murum, cui nomen proscaenii dedit, ipsius scaenae fuisse frontem quam nostrates »*Bühnenhinterwand*« vocant, et ante eam, in orchestra scilicet, histriones una cum choro fabulas egisse. Ac primum quidem Kaweravium sui ipsum adversarium esse primo obtutu videbis: quanam de causa scaenae frontem statuit columnis aliisque ornamentis decoratam fuisse, quam totam obtegeret illa »*aus Holzwerk und Leinewand errichtete Decoration*«? Iam ipsa theatri Oropi inscriptio plane demonstrat illam frontem semper ante omnium oculos apertam fuisse. Neque porro proscaenii verbum omnino Kaweravii opinionem (cf. l. l. p. 1739) fulcit,

---

1) cf. Vitruv. V, 8, 2: .... *ampliorem habent orchestram Graeci et scaenam recessiorem minoreque latitudine pulpitum quod λογειον appellant....* Phrynich. ed. Lobeck p. 163: *σὺ μέντοι, ἔνθα μὲν κωμῳδοὶ καὶ τραγῳδοὶ ἀγωνίζονται, λογεῖον ἐρεῖς.*

2) cf. Kaweravium l. l. p. 1736 et p. 1747.

3) cf. Kaweray. l. l. p. 1746 sqq.

quem fugit perpaucis tantum locis *προσκήνιον* pro scaenae fronte apud veteres scriptores [1]) inveniri, quod multo saepius ad ipsum scaenae pulpitum vel logeum significandum usurpetur. Cuius rei testimoniis, quorum quinque affert Albertus Muellerus [2]), Athenaei mechanici de machinis [3]) addam hunc locum: *κατεσκεύασαν δέ τινες ἐν πολιορκίᾳ κλιμάκων γένη παραπλήσια τοῖς τιθεμένοις ἐν τοῖς θεάτροις πρὸς τὰ προσκήνια τοῖς ὑποκριταῖς* atque haec verba ad scalas, quae ex orchestra in logeum aditum praebebant [4]), spectare Godofredi Hermanni [5]) auctoritate freti

1) Suidas s. v. *προσκήνιον· τὸ πρὸ τῆς σκηνῆς παραπέτασμα* (quem Polybii verba quae addit: *ἡ δὲ τύχη παρελκομένη τὴν πρόφασιν καθάπερ ἐπὶ προσκήνιον παρεγύμνωσε τὰς ἀληθεῖς ἐπινοίας* falso citasse Albertus Muellerus l. l. p. 54 in adn. satis comprobavit). Athen. XIII, 51 p. 587 b: *Ἀντιφάνης δ' ἐν τῷ περὶ ἑταιρῶν· »προσκήνιον (φησὶν) ἐπεκαλεῖτο ἡ Νάννιον, ὅτι πρόσωπόν τε ἀστεῖον εἶχε καὶ ἐχρῆτο χρυσίοις καὶ ἱματίοις πολυτέλεσι, ἐκδῦσα δὲ ἦν αἰσχροτάτη«.* Idem fere tradunt Suidas et Photius s. v. *Νάννιον*. Grammatici cuiusdam in Cramer. anecd. Parisin. vol. I, p. 19 verbis quae affert Wieselerus (in Ersch. et Grub. l. l. p. 216 adn. 72) argumentum inesse concedere non possum, cum multas ille scaenae partes machinasque confuse et permixte enarret. Neque Alberto Muellero (l l. p. 54 adn. 3) assentiar, Plut. Lycurg. 6 verba: *ὅταν εἰς ἀγάλματα καὶ γραφὰς ἢ προσκήνια θεάτρων ἢ στέγας βουλευτηρίων ἠσκημένας περιττῶς ἐκπλησσόντες ἀποβλέπωσιν* ad frontem scaenae spectare, cum equidem intellegere non possim, quanam de causa talia ornamenta iis theatrorum tribuamus locis quae spectatorum oculis semper fere apparatu scaenico obtecta remanebant. Atque Athenaei locus quem modo attulimus nostram opinionem optime illustrat. Idem statuam de Codic. Theod. XV, 7, 12 verbis, quae ex Alberti Muelleri libro (p. 54 sq. adn. 3) repetere supervacaneum est.

2) l. l. p. 54 adn. 2: Apul. Flor. 18 p. 28, 5 Kr: *proscaenii contabulatio.* Vitruv. V, 6, 1: *proscaenii pulpitum;* V, 8, 1: *finitio proscaenii* et *proscaenii e regione.* Serv. ad Verg. Georg. II, 381: *proscaenia autem sunt pulpita ante scaenam* . . . . . idem affert Vel. Long. de orthogr. p. 2245 P.

3) in Vett. Mathem. opuscul. Parisin. 1693 Thevenot. ed. p. 8

4) cf. Polluc. IV, 127: *εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων.* Schoenbornium (die Skene der Hellenen Leipz. 1858 p. 75) falso plures una posuisse Wieselerus in disputatione sua de difficilioribus quibusd. Pollucis . . . locis (Gotting. 1866, p. 14, adn. 14) satis comprobavit.

5) in neue Jena. Litteraturzeit. 1843 nr. 147 p. 600. Tamen non concedam viro doctissimo indiligenter Athenaeum de histrionibus

pro certo habemus. Nec deest testimonium Pollucis (IV, 124), qui quamvis aliis verbis eadem affert: *τὸ δὲ ὑποσκήνιον κίοσι καὶ ἀγαλματίοις κεκόσμητο πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον*, quae verba optime quadrant ad amplum illud spatium sub pulpito late extensum eiusque frontem ad orchestram versam atque ornamentis decoratam [1]). Ipsius proscaenii verbo Pollux utitur quo loco (IV, 123) theatri partium haec affert nomina: *σκηνή, ὀρχήστρα, λογεῖον, προσκήνιον, παρασκήνια, ὑποσκήνια.* Quibus ex verbis si quid concludamus, cum Wieselero (in Erschii et Gruberi l. l. p. 241 sq. adn. 69) arbitremur Pollucem primum quidem partes theatri primarias: scaenam et orchestram, tum alias scaenae significationes: logeum et proscaenium, denique spatia ad illam spectantia: parascaenia et hyposcaenia enarrare, qui cum postea de scaena, orchestra, hyposcaenio accuratius disputet, de logeo proscaenioque ne unum quidem verbum amplius proferat.

---

loqui, nam illis scalis non solos choreutas usos fuisse mox videbimus. Neque Wieselero assentiar, qui in disputat. suae quam modo laudavi p. 15 sq. comprobare studuit, hoc loco *προσκήνιον* pro scaenae fronte usurpari et talibus *κλίμαξι* (quales in Wieseleri monum. scaenic. tabul. IX, 11 et 12 depictas invenies), histriones, quoties fabulae postulaverint, in ipso logeo ad fenestras domuum, quae in scaena steterint, ascendisse. Quam rem perraro in comoediis inveniri nemo negabit, ut cum de scalis in theatris usitatis legimus, primum quidem de illis, quas orchestram cum scaena coniunxisse Pollux tradit, cogitemus necessarium videatur.

1) idem placuit Sommerbrodtio (scaenica Berol. 1876 in pag. 140). Schoenbornius (l. l. p. 101) et Wieselerus (Ersch. et Grub. l. l. p. 219 sqq.) censebant hyposcaenium fuisse locum quendam post scaenae frontem situm. Sed, quamvis concedendum sit nonnullis locis (quos Sommerbrodtius l. l. affert) *ὑπὸ σκηνῆς* et *ὑπὸ σκηνήν* ad spatia post scaenae frontem sita quadrare, de ipso hyposcaenii verbo idem comprobari non potest, neque equidem dubito, quin Asopodorus in Athen. XIV, 31 pag. 631 f. *διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ* sub logeo versatus fuerit, cum in spatio decem pedum alto, ex quo aditus in orchestram exstitisse Epidaurici theatri reliquiae demonstrant, tibicines vel alios quosdam se tenuisse consentaneum videatur. Qui nobiscum maxima ex parte consentit Albertus Muellerus in Philolog. XXIII p. 312 sqq. de hac re accuratius disputavit.

Iam concedes Doerpfeldium non scaenae, sed hyposcaenii quod Pollux vocat frontem detexisse, neque adhuc causam esse, cur in logeo histriones partes egisse denegemus. Atque talia logea nonnullae vasorum picturae [1]) exhibent depicta, quarum paucae pulpita praebent supra ligneas trabes exstructa [2]), aliae frontes gerunt columnis aliisve ornamentis exornatas [3]). Neque desunt quae scalas illas demonstrent pulpitis appositas, quales ligneas ac mobiles fuisse ipsae picturae satis comprobant [4]), ut nobis quidem non mirandum videatur, quod Doerpfeldius vestigia earum nulla invenerit.

Quae cum ita sint, id unum ex Doerpfeldii inventis concludamus necesse est, Graecos per longum tempus ligneo usos fuisse scaenae pulpito, atque posterioribus demum temporibus lapideam posuisse substructionem eiusque frontem ornamentis decorasse, qualia in Epidaurico et Oropi theatro novimus. Nec miremur rem ita se habuisse, cum non inconsulto Graecorum histriones in ligneo versarentur logeo, quo pacto sonus verborum altius augeretur quam si scaenam, ut caveam, lapidibus exstruxissent. Quod ut tibi probem, Vitruvii testimonium afferam hoc (V, 5, 7): ... *quod omnia publica lignea theatra tabulationes habent complures quas necesse est sonare. hoc vero licet animadvertere etiam ab citharoedis, qui superiore tono cum volunt canere, avertunt se ad scaenae valvas et ita recipiunt ab earum auxilio consonantiam vocis. cum autem ex solidibus rebus theatra constituuntur, id est ex structura caementorum, lapide, marmore, quae sonare*

---

1) invenies in Baumeisteri monum. s. vv. Lustspiel et Theatervorstellungen, de quibus Ernestus Reischius (Zeitschr. für österreich. Gymn. XXXVIII 1887 p. 274) haec scripsit: .... »*denn wenn auch die unzweifelhaft hierher gehörenden Monumente grösstenteils unteritalischen Fabriken und einer jüngeren Epoche* (dem 3. Jahrh. v. Chr.) *angehören, so gehen sie doch auf griechische Bühnenzustände zurück und sind daher für die Veranschaulichung derselben von grösster Bedeutung.*« Complures picturas exhibet Wieselerus monum. scaenic. tabul. III, 18. IX, 13—15. XI, 2.

2) cf. Baumstr. l. l. III, p. 1751 et 52.

3) cf. Baumstr. l. l. III, p. 1753 et 54.

4) cf. Baumstr. l. l. II, p. 819 et p. 820 (de hac pictura infra plura disputabimus), III, p. 1752.

non possunt, tunc echeis hac ratione sunt explicanda . . . . . Atque idem fere tradit Plutarchus (moral. p. 1096 B): *καὶ χαλκοῦν Ἀλέξανδρον ἐν Πέλλῃ βουλόμενον ποιῆσαι τὸ προσκήνιον, οὐκ εἴασεν ὁ τεχνίτης ὡς διαφθεροῦντα τῶν ὑποκριτῶν τὴν φωνήν.*

Tamen dicat forte quispiam cum Kaweravio (l. l. p. 1739) scaenam quam nos retinemus angustiorem fuisse quam quae commodum spatium histrionibus praebuerit. Sed primum quidem recordemur Graecorum in fabulis nullo fere loco plures quam tres vel quattuor histriones eodem tempore in logeo versatos fuisse. Nam abhorrebat simplex Graecorum sensus a splendidis pompis quibus Romani in theatris delectabantur. Tum vero constat illud pulpitum multo longius quam latius fuisse, ut spatium sufficeret, si quando plures solito histriones simul partes agebant. Ac quis est qui neget hoc modo, quo singuli histriones quasi uno in ordine alius iuxta alium continuabantur, melius eos in omnium conspectu fuisse quam si alius post alium versati essent? Ipsa enim theatri amplitudo postulabat, ut actores quam proximi spectatoribus adstarent. Iisdem fere causis Graeci commovebantur, ut altiore uterentur scaenae pulpito quam nobis nunc placet. Nam, ut primordia tragoediae Graecae in carminibus ad Bacchi honorem cantatis invenienda sunt[1]), ita in fabulis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis saepissime histriones deorum vel heroum deorum similium partes agebant. Atque eo Aeschylus altiores cothurnos quos Romani appellabant in scaenam induxit[2]), ut ingentes ac paene divini viderentur qui in logeo versabantur, quippe qui iam vultu habituque ab hominum natura abhorrerent. Qua ratione optime fingebantur illi *Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες* atque ultimae antiquitatis heroes, quos iam Homerus in maius extulit. Quos si Hoepkenium et Kawera-

1) optime hanc in rem inquisivit Schneiderus in libro quem de originibus tragoediae Graecae composuit (Vratisl. 1817).

2) vit. Aeschyli p. 121 sq. West.: *μείζοσί τε τοῖς κοθόρνοις μετεωρίσας*. Plura de cothurnis invenies apud Sommerbrodtium l. l. p. 192 sqq. Albertus Muellerus (l. l. p. 240 sq.) comprobavit histriones, qui inferiores partes egerint, humilioribus usos fuisse cothurnis, quales depinxit Wieselerus in monum. scaenic. tabul. IX, 1.

vium secutus inter choreutarum turbam in orchestra versantes tibi finges, vix risum tenebis.

Videamus nunc, quibus aditibus histriones in logeum progressi sint, qua de re Pollux et Vitruvius eadem fere tradunt. Onamastici auctoris verba haec sunt (V, 124 sq.): *τριῶν δὲ τῶν κατὰ τὴν σκηνὴν θυρῶν ἡ μέση μὲν βασίλειον ἢ σπήλαιον ἢ οἶκος ἔνδοξος ἢ πᾶν τοῦ πρωταγωνιστοῦ τοῦ δράματος, ἡ δὲ δεξιὰ τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον. ἡ δὲ ἀριστερὰ τὸ εὐτελέστατον ἔχει πρώσοπον ἢ ἱερὸν ἐξηρημωμένον, ἢ ἀοικός ἐστιν. ἐν δὲ τραγῳδίᾳ ἡ μὲν δεξιὰ θύρα ξενῶν ἐστιν, εἰρκτὴ δὲ ἡ λαιὰ* et paulo post (V, 126): *παρ' ἑκατέρα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἑκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασιν, ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δὲ ἑτέρα τὰ εἰς πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος. καὶ θεούς τε θαλαττίους ἐπάγει, καὶ πάνθ' ὅσα ἐπαχθέστερα ὄντα ἡ μηχανὴ φέρειν ἀδυνατεῖ.*

Vitruvius haec habet (V. 7, 8): *ipsae autem saenae suas habent rationes explicatas ita ut mediae valvae ornatus aulae regiae, dextra ac sinistra hospitalia, secundum autem spatia ad ornatus comparata quae loca Graeci περιακτους dicant ab eo, quod machinae sunt in his locis versatiles trigonoe habentes singulae tres species ornationis, quae cum aut fabularum mutationes sunt futurae seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur mutentque speciem ornationis in fronte. secundum ea loca versurae sunt procurrentes, quae efficiunt una a foro, altera a peregre aditus in scaenam*[1]).

Quibus ex verbis satis elucet in scaenae fronte mobili linteis lignisque exstructa, quam nostrates »*Decorationswand*« vocant, tres exstitisse portas[2]), ex quibus histriones in logeum

---

1) haud ignoro haec de Romanorum theatris dicta esse; quae tamen etiam ad Graecorum scaenam maxima ex parte quadrare eo elucet, quod Vitruvius alia quidem quibus haec ab illa aberraverit enarrat, de scaenae vero aditibus nihil novi profert.

2) cum multae theatrorum reliquiae, inter quas theatri Aspendi Pamphyliae detecta scaena, quinque demonstrent portas in firma scaenae fronte lapidibus exstructa, ante quam fabulis agendis mobilis illa frons ponebatur, Schoenbornius (l. l. p. 16 sq., 66 sqq.) contendit et in

progressi sint. Praeter eas viri docti duas alias posuerunt portas, unam in utroque scaenae latere sitam, quod Pollucis verbis commendant: *παρ' ἑκατέρα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἑκατέρωθεν κ. τ. λ.* Sed hunc in locum si accuratius inspexeris, videbis de portis prope periactos sitis cogitari non posse. Nam primum ipse Pollux cum verbis utatur *ἄλλαι δύο εἶεν ἄν* de portis dubitare videtur[1]). Neque enim, qui de ceteris scaenae aditibus accuratius disputet, de his quidquam amplius noster profert, sed pergit: *πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασιν* atque alia enarrat quae aperte ad periactos revocanda sunt[2]). Clariora vero Vitruvius de hac re profert cum dicat: *secundum autem spatia ad ornatus comparata, quae loca Graeci περιακτους dicant ab eo, quod machinae sunt in his locis versatiles trigonoe habentes singulae tres species ornationis,* qui de portis quibusdam hoc quidem loco nihil affert. Atque per se apparet illas machinas, quarum pro altitudine non parvam statuamus amplitudinem, prope scaenae frontem collocatas totam fere logei latitudinem explevisse, ut intervallum periactorum et scaenae frontis vel minimum remaneret[3]). Sed postulant fabulae, ut non raro histriones ex lateribus scaenae progressi in

---

hac mobili fronte quinque portas fuisse. Sed erravisse eum hac in re omnes viri docti Alberto Muellero duce (Philolog. XXIII, p. 299 sqq.) persuasum habent excepto uno quantum scio Ernesto Droysenio (quaestiones de Aristophan. re scaenica dissert. inaugur. Bonnae 1865).

1) Alberti Muelleri (Philolog. XXIII p. 302) opinionem, colorem urbanitatis quendam inesse his verbis, persuadendi vim non habere nemo negabit. Schoenbornius (l. l. p. 67) satis audacter contendit: »*da es an dieser Stelle nicht Ausdruck der Urbanität sein, nicht zweifelhaftes Wissen und Unentschiedenheit bedeuten kann: so müssen die Worte auf ein eventuelles Vorkommen der zwei letzten Thüren hinweisen*« . . .

2) quae Schoenbornius (l. l. p. 71 sq.) falso ad portas quasdam rettulit, cum iam Godofredus Hermannus (de re scaenic. in Aeschyli Orestea in edit. suae Aeschyli tragoed. tom. II, p. 649) eandem quam nos protulisset sententiam.

3) Kolstero testante (sophocl. Studien, Hamburg 1859, pag. 38) Strackius, cuius in librum de vetere Graecorum theatro quod inspicere non potuerim valde doleo, invenit Tauromenii theatri illa spatia, in quibus haud dubie periacti versabantur, decem tantum pedum lata, ut perexiguum restitisse intervallum consentaneum videatur.

conspectum venerint. Qua de re cum Pollux nihil proferat, apud Vitruvium omnia optime explicata invenimus quo loco his de aditibus haec commemorat (V, 7, 8): *secundum ea loca* (periactos scilicet) *versurae sunt procurrentes quae efficiunt una a foro, altera a peregre aditus in scaenam.*

Tales versuras supra vidimus in Dionysi, Epidaurici, Oropi theatris, quo loco alas videbamus procurrentes [1]) ex fronte illa hyposcaenii. Atque equidem pro certo affirmem inter periactos et has alas itinera fuisse versurarum quae idem alio loco (V, 6 ad finem) commemorat, cum haec loca commodos praebuerint aditus histrionibus quibus ex lateribus in logeum intrare opus fuit. Quae ut clariora fiant, haec lineamenta describere conatus sum, quae cum Epidaurici theatri pictura in Alberti Muelleri libri saepius nominati p. 5 (= Baumstr. l. l. III, p. 1735) compares.



scaenae frons.

a mediae valvae. *bb* hospitalia. *cccc* portae laterum. *PP* *περίακτοι*. *ii* itinera versurarum. *VV* versurae procurrentes.

1) quae si defuissent, non unam sed duas semper periactorum partes in conspectu habuissent spectatores. Atque architectus quidam Lohde (die Skene der Alten, Berlin 1860, p. 10) de versuris mecum consentit, sed, nescio quare, aditus illos inter periactos et scaenae frontem posuit. Godofredo Hermanno (neue Jena. Litteraturzeitung 1843 nr. 147 p. 599) placuit, ut inter periactos et frontem scaenae atque quo loco nos volumus aditus praesto fuerint. Albertus Muellerus (l. l. p. 119 sq.) non satis perspicue de hac re disputavit. Ac conferas, quae idem de Epidaurici theatri aditibus in p. 27 sq. adnot. 4 demonstret.

Restat, ut de parodis quae Pollux tradat referamus: *τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξιὰ*[1]) *ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει. οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσιάσιν. εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων*[2]). Atque his ex verbis satis elucet non solum choreutas, verum etiam histriones per parodos in orchestram progressos fuisse, si fabularum actio postularet. Quam in rem cum postea accuratius inquiramus, nunc eam missam faciamus.

Sed haec hactenus. Iam diutius in enarranda Graecorum scaena commorari videmur, qui quidem hac de re accuratius disputare operae pretium arbitrati sumus, quia nostris ipsis temporibus novissimae illae ac fere inauditae opiniones in medium prolatae sint. Nos igitur retineamus scaenam qualem praeter ceteros Vitruvius et Pollux memoriae tradiderunt, quorum de fide ac fiducia cur dubitemus, equidem causam non video. Sed Vitruvium in Graecorum theatris describendis semper erravisse Kaweravio quidem (l. l. p. 1732) placuit, qui non possit non concedere doctum illum Augusti architectum haud dubie non pauca veterum scriptorum testimonia de Graecorum rebus scaenicis ante oculos habuisse. Neque nos in librum clarissimi viri accuratius inspicientes fugit Vitruvium, cum explicet quo modo Romanorum scaena conformanda sit, saepius ad Graecorum scaenam respicere, quam ad imitandum quasi exemplar

---

1) offendebant viri docti in eo quod Pollux in describendis periactis verbis *δεξιά* et *ἀριστερά* significaverit regiones plane contrarias iis quas nunc iisdem appellat verbis. Quam difficultatem iam Godofredus Hermannus (ed. Aeschyl. II p. 649) his verbis satis diluebat: »*ex quo*, inquit, *consequitur, alterum ut in proscaenio, alterum ut inter spectatores stantem esse locutum*«. Idem placuit Alberto Muellero (l. l. p. 160). Ac nos quidem in sequentibus ita rem tractabimus, ut *dextrum* ac *sinistrum* e spectatorum partibus vocemus, quomodo qui ex urbe vel portu ingrediuntur histriones ex dextro, qui peregre appropinquant ex sinistro theatri latere introeuntes faciamus.

2) Godofredus Hermannus (neue Jena. Litteraturzeitung 1843 nr. 147, p. 599 sqq.) verba ab *εἰσελθόντες* usque ad finem hoc loco stare non posse contendit, quam opinionem testimoniis satis comprobare ipse omisit.

Romanis architectis quibusdam locis proposuisse apparet[1]). Quosnam clariores praeceptores imitari poterant Romani quam Graecos, cum iam Livius Andronicus, qui »*ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere*« (Liv. VII, 2) Graecas tragoedias a Graeco Tarentinorum theatro Romam transferret[2]).

Neque de Pollucis auctoritate plaudamus Niejahri[3]) verbis: »*desinamus Pollucem ceterosque testes rei scaenicae, quae fuit quinto ante Christum saeculo afferre*«, cum Rohdii viri doctissimi de Pollucis fontibus disputationes[4]) nobis quidem fiduciam onomastici auctoris comprobare ac firmare videantur. Nam sagaciter exposuit vir doctus Pollucem vel ex optimis hausisse fontibus in enarrandis rebus scaenicis, quod Iubae regis *θεατρικὴν ἱστορίαν* exscripserit, quem cum in Tryphonis Alexandrini libros *περὶ ὀνομασιῶν* inspiceret clarissimi Aristophanis Byzantini doctrinam denuo protulisse veri simillimum videri. Qua in re ne diutius commoremur, id unum statuamus Pollucem, quem quae in tanta diversitate Romanorum et Graecorum theatrorum de his afferat sibi finxisse nemo affirmare audebit, cum Dionysi theatrum quamvis aliqua ex parte commutatum Athenis ante oculos semper haberet, etiam priorum temporum res scaenicas bene cognitas habuisse. Neque enim illo theatro Neronis temporibus commutato[5]) probabile fit omne prioris usus vestigium ita fuisse deletum, ut nulla remaneret

---

1) cf. V, 6. 2: *ita latius factum fuit pulpitum quam Graecorum, quod omnes artifices in scaena dant operam;* qui quo loco (V, 7, 8) de periactis agit Graeco utitur verbo, quamvis de Romanorum scaena loquatur. De ipsa nimirum Graecorum scaena, quippe quae minus pertineret ad Romanos lectores, non tam accurate disputat, verum tamen quae tradit ita exponit, ut non imperitum se praebeat. Praeterea Schoenbornius (l. l. p. 14) iam satis comprobavit Vitruvii praecepta cum monumentis quae dicuntur semper fere consentire.

2) cf. Ottonis Ribbeckii Geschichte der röm. Tragödie (Leipzig 1879) p. 21 sqq.

3) Johannes Niejahr: quaestiones Aristophan. scaenic. (dissert. inaugural. Gryphiswald. 1877) p. 40.

4) Erwinus Rohde: de Iulii Pollucis in apparatu scaenic. enarrando fontibus, Lips. 1870.

5) cf. Kaweravium l. l. p. 1738.

memoria Polluce vivente, quali in scaena suas egerint fabulas clarissimi illi Aeschyli, Sophocles, Euripides, de quibus testimonia veterum scriptorum haud dubie illi praesto fuerunt[1]). Atque ipsae quae nunc exstant reliquiae demonstrant tertio demum post Christum saeculo Phaedrum Dionysi theatri scaenam ad Romanorum usum paene funditus commutasse[2]). Desinamus igitur in tanta veterum de rebus scaenicis testimoniorum paucitate nimis iis diffidere qui splendidissimi aedificii rudera nostrae servabant memoriae, sed studeamus potius illorum testimonia cum iis quae ipsae fabulae postulant in consensum concentumque redigere.

Haec habui quae de ipsa scaena proferam. Iam transeamus ad orchestram chorique partes, qui quo loco sua egerit, »*adhuc sub iudice lis est*«. Nam diffidebant viri docti Pollucis verbis (IV, 123): *ἡ σκηνὴ μὲν ὑχοχριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ*, qui chorum in orchestra versantem humiliorem pro histrionibus obtinuisse locum arbitrati sunt. Quare Godofredus Hermannus[3]) fabulis agendis pulpitum quoddam ligneum in chori usum in orchestra exstructum fuisse voluit, cuius pulpiti altitudinem logei solo fere aequavit vir doctus, quo pacto facilius choreutae scaenam ascendere potuissent, quoties fabularum actio postulasset. Cuius opinionis argumentum ille Suidae et Etymologici magni verba affert, quae cum ad verbum fere congruant pro uno testimonio habenda sunt. Suidae verba haec sunt[4]): *σκηνὴ ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου. παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης θύρας. ἵνα δὲ σαφέστερον εἴπω, μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια ἡ ὀρχήστρα. αὕτη δέ ἐστιν ὁ τόπος ὁ ἐκ σανίδων ἔχων τὸ ἔδαφος, ἀφ' οὗ θεατρίζουσιν οἱ μῖμοι. ἔστι μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τοῦ Διονύσου,*

---

1) idem placuit Kolstero l. l. p. 42.

2) cf. Kaweravium l. l. p. 1738.

3) opuscul. VI part. II, p. 152sqq. et neue Iena. Litteraturzeit. 1843 nr. 147, p. 597; quem Wecklenius (Philolog. XXXI, p. 442) et Rohdius (Mus. Rhen. 38, p. 257sq. adnot. 2) secuti sunt.

4) fere eadem tradit Etymol. magn. (cf. Alberti Mueller l. l. p. 132 adn. 2) et Favorinus s. v. *σκηνή*.

ὃς καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν. μετὰ δὲ τὴν θυμέλην ἡ κόνιστρα, τούτεστι τὸ κάτω ἔδαφος τοῦ θεάτρου [1]).

Ac primo apparet obtutu Hermannum satis infirmo uti testimonio, cum illa verba, quantum equidem video, de pulpito quodam amplo atque alto nihil proferant. Immo vero ille τόπος ὁ ἐκ σανίδων ἔχων τὸ ἔδαφος ad solum quadrat ligneis assibus confectum, quale ipsum logeum exhibuit. Atque omnia, quae aliter obscura remanerent, dilucida fiunt, cum Wieselero [2]) auctore hoc loco, ut saepius invenitur [3]), orchestram pro logeo usurpari accipimus, quod verbis ἀφ' οὗ θεατρίζουσιν οἱ μῖμοι satis firmatur.

Graviora veterum testimonia Wieselerus [4]) affert, ut demonstret pulpitum in orchestra magnum amplumque, quo praeter chorum tibicines et rhabduchi qui vocantur locum tenuerint, θυμέλην illam fuisse, quam in orchestra positam fuisse non pauci veteres scriptores tradunt. Sed primum quidem ipsum

---

1) Godofredus Hermannus (neue Iena. Litteraturzeit. 1842 nr. 114), quem Sommerbrodtius (scaen. p. 26 sq.) secutus est, hasce Etym. magn. lectionis emendationes proposuit: σκηνή ἐστιν ἡ μέση χώρα τοῦ θεάτρου. παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης χώρας κάγκελλα. ἢ ἵνα σαφέστερον εἴπω, σκηνὴ ἡ μετὰ τὴν σκευὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια. εἶτα ἡ ὀρχήστρα κ. τ. λ. Tamen scholiastae ad Gregorium Nazianzenum verba (codic. laurent. fol. 60 recto), quae invenies in Herm. VI, p. 490/91 et in Mus. Rhen. 38, p. 257 sq., eadem fere praebent, nisi quod post χαλκᾶ κάγκελλα haec leguntur: ὧν τὰ ἔντος καὶ τῆς μέσης θύρας, ἢ ἵνα σαφέστερον εἴπω, σκηνή· μετὰ δὲ τὴν σκηνὴν κ. τ. λ., ut illam lectionem retineamus necessarium videatur. Praeterea iam Wieselerus in libri sui de thymele compositi (Gotting. 1847) pag. 3 satis comprobavit, verbis σκηνή ἐστιν ἡ μέση θύρα nihil offensionis inesse. Albertus Muellerus (l. l. p. 132 adn. 2) Hermanni de pulpito illo sententiam recepit.

2) Ueber die thymele p. 6 sqq., quem secutus est Ernestus Petersenius (Wien. Studien 7 (1885) p. 174 sq.). Quae contra hunc proferebat Albertus Muellerus (Philolog. XLV, p. 237 sqq.) persuadendi vim non habent.

3) exempla invenies in Alberti Muelleri griech. Bühnenalt. p. 56 adn. 1.

4) cf. librum eius quem modo nominavi de thymele compositum. Wieselerum hac in re praeter ceteros Albertus Muellerus in libro suo saepius citato (cf. p. 131 sqq.) secutus est.

Θυμέλης verbum contra Wieselerum repugnat, cum aram fuisse illam ac nomen accepisse ex *θύειν* verbo multa veterum testimonia comprobant [1]). Neque hoc Wieselerum fugit, qui quidem ante fabularum initium illi quod thymelen appellat pulpito aram impositam fuisse voluit (l. l. p. 24 et 26). Quo modo difficultatem non dilui Sommerbrodtio (scaenic. p. 90) quisque libenter concedet. Praeter hanc arae notionem apud quosdam veteres grammaticos mensa in sacrificando usitata nomine *Θυμέλης* significatur, ut in Orion. Theb. Etymol. p. 72 haec verba leguntur: *Θυμέλη παρὰ ἐπ' αὐτῆς τίθεσθαι τὰ θυόμενα ἱερεῖα· τράπεζα δὲ ἦν πρὸ τούτου, ἐφ' ἧς ἑστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον μήπω τάξιν λαβούσης τῆς τραγῳδίας* [2]).

Hanc mensam ab ipsa ara plane disiungendam esse Pollux (IV, 123) hisce verbis explicat: *καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ Θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα εἴτε βωμός. ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγιεὺς ἔκειτο βωμὸς ὁ πρὸ τῶν θυρῶν, καὶ τράπεζα πέμματα ἔχουσα, ἣ θεωρὶς ὠνομάζετο ἢ θυωρίς. ἐλεὸς δ' ἦν τράπεζα ἀρχαιὰ, ἐφ' ἣν πρὸ Θέσπιδος εἷς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο.* Hac ex mensa, quam *ἐλεὸν* Pollux nominat, scaenam vel

1) schol. ad Lucian. de saltat. c. 76: *Θυμέλη ὁ βωμὸς ἀπὸ τοῦ θύειν. θυμελίη δὲ αὐλητική.* Cram. anecd. Graec. e cc. mscr. bibl. Oxon. tom. II, p. 449, 18: *θυμέλαι· οἱ βωμοὶ ἀπὸ τοῦ θυεσθαι, ἢ τίθεσθαι.* Suidae, Etymol. magni, Gregor. Nazianz. verba supra attulimus. Bekk. anecd., p. 42 s. v. *Θυμέλη· νῦν μὲν θυμέλην καλοῦμεν τὴν τοῦ θεάτρου οκηνὴν καὶ ἔοικε παρὰ τὸ θύειν κεκλῆσθαι ὁ τόπος οὗτος.* Hesych. s. v. *Θυμέλη. οὕτως ἔλεγον ἀπὸ τῆς θυηλῆς τὸν βωμὸν, οἱ δὲ τὸ ἐπίπεδον, ἐφ' οὗ ἐπιθύουσιν, ἢ ἔδαφος ἱερόν.* Eadem notione arae *θυμέλαι* vocantur in Euripid. (ed. Kirchhoff.) Ion. vv. 46, 114, 161, 234. Electr. v. 711. Iphigen. Aulid. v. 151. Rhes. v. 233. Supplic. v. 65. Aeschyl. (ed. Godofr. Hermann.) Supplic. v. 643.

2) idem fere tradunt: Etymol. magn. auctor s. v. *Θυμέλη. ἡ τοῦ θεάτρου μέχρι νῦν ἀπὸ τῆς τραπέζης ὠνόμαστται παρὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τὰ θύη μερίζεσθαι, τοὐτεστι τὰ θυόμενα ἱερεῖα. τράπεζα δὲ ἦν κ. τ. λ.* quae Orion. Theban. exhibet. Lexic. Gudian. p. 246, 42: *Θυμέλαι, τράπεζαι, ὀρχήσεις.* Cyrill. Lexic. mscr. apud Alberti ad Hesych. I, p. 1743: *Θυμέλη, τράπεζα, ἐφ' ἧς κ. τ. λ.* quae modo legimus. *Θυμέλαι, τράπεζαι, ὀρχήσεις. Θυμέλη καὶ ἡ τράπεζα.* Hos quattuor locos minorem tantum vim habere, qui aperte uno ex fonte fluxerint, primo obtutu videbis.

potius logeum ortum fuisse equidem persuasum habeo, cum in ipso eo quod choreutarum quidam cantibus respondebat primordia actionis cuiusdam histrionis propriae invenienda sint[1]). Tamen contra Wieseleri opinionem, qui censuit ex illa ara quam thymelen vocatam legimus paullatim pulpitum quoddam in usum chori saltantis exstructum eodem modo quo ex mensa logeum exortum fuisse, ipsa veterum testimonia repugnant. Neque enim ullum inveni locum quo chorum vetustioribus temporibus in ipsis aris stantem ad Bacchi honorem carmina cecinisse comprobetur; atque his ex cantibus tragoediam primordia cepisse, quis est qui nesciat? Qua de re Euanthius[2]) haec tradit: *comoedia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragoedia, simplex carmen quemadmodum iam diximus fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus nunc consistens nunc revolvens gyros*

1) atque idem placuit Wieselero (l. l. p. 26 adn. 76 et in Ersch. et Grub. l. l. p. 206); neque hac in re quem saepius laudavi Sommerbrodtio (l. l. p. 94 sqq.) assentiri possum, de histrione iam cogitari non debere, cum in ipso verbo »τις« inesse censeam, illum qui mensam ascenderit non choreutarum unum fuisse; neque Diog. Laertii (III, 56: *ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τοῦ χοροῦ*) aliorum verba de Thespide, quem Euanthius (de tragoed., ex recens. Reifferscheidii, p. 4, 2) tragodiae primum inventorem appellat, contra Pollucis auctoritatem vim habere concedam, cum alia veterum testimonia Euanthio obstent neque apud Aristotelem in arte poetica quicquam de Thespide tradatur (cf. Alberti Muelleri l. l. p. 172, adn. 2). Ceterum minoris videatur momenti, utrum choreutae cuidam an alii has tribuamus partes, dummodo hoc loco de actione quadam histrionis propria Pollucem loqui concedamus, ita ut ex illa mensa pulpitum scaenae exortum fuisse consentaneum fiat. Iam Thespidem in pulpito quodam fabulas egisse nobis quidem Schneiderus (de origg. tragoed. Graec. p. 56) persuasit, neque dubitamus, quin Aeschylus, qui secundo histrione in fabulas inducto (cf. Aristot. poetic. 4 Vahlen) et dialogo qui vocatur instituto ampliore uteretur scaena, simplex Thespidis pulpitum in logeum illud commutaverit; quod quae in Vit. Aeschyl. c. 2 leguntur: *καὶ πολὺ τοὺς πρὸ αὐτοῦ ὑπερῆρε κατά τε τὴν ποίησιν καὶ τὴν διάθεσιν τῆς σκηνῆς* illustrare videntur.

2) Donat. et Euanth. comment. de comoed. ex recens. Augusti Reifferscheidii, index schol. in univers. Vratislav. per hiemem anni 1874/75 habend. p. 4, 13 sq.

cum tibicine concinebat. Atque tales aras posterioribus quoque temporibus in theatris collocatas fuisse cum Suidas ceterique testantur, quos thymelen fuisse Dionysi aram in orchestra positam tradere supra vidimus, tum Dionyso in Atheniensium theatro sacrificatum fuisse praeter ceteros [1]) Dio Chrysosthomus (orat. XXXI vol. I, p. 386 Dind.) his verbis commemorat: *Ἀθηναῖοι δὲ ἐν τῷ θεάτρῳ θεῶνται τὴν καλὴν ταύτην θέαν ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκροπόλιν, οὗ τὸν Διόνυσον ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν τιθέασιν. ὥστε πολλάκις ἐν αὐτοῖς τινα σφάττεσθαι τοῖς θρόνοις, οὗ τὸν ἱεροφάντην καὶ τοὺς ἄλλους ἱερεῖς ἀνάγκη καθίζειν.* Quod si verum est, causam non habemus quare aram illam procedente tempore ex theatris evanuisse atque thymeles nomen in pulpitum quo illa fuerit collocata transiisse Wieselero [2]) concedamus.

Neque porro cetera quae affert Wieselerus veterum testimonia quidquam de tali pulpito alto atque amplo demonstrant. Primum quidem exemplum Athenaei locum [3]) ille profert, quo Pratinas inducitur indignatus, quod *αὐλητῶν καὶ χορευτῶν μισθοφόρων κατεχόντων τὰς ὀρχήστρας* tibicines non concinerent tibiis chori cantibus, sed primas agerent partes, atque hosce versus pronuntiat:

τίς ὁ θόρυβος ὅδε; τί τάδε τὰ χορεύματα;
τίς ὕβρις ἔμολε ἐπὶ Διονυσιάδα πολυπάταγα θυμέλαν;
ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος .

---

1) Philostrat. vit. Apollon. IV, 22, p. 74, 8 sq. Kays.: *σὺ δέ, Διόνυσε, μετὰ τοιοῦτον αἷμα ἐς τὸ θέατρον φοιτᾷῳ, κἀκεῖ σοι σπένδουσιν οἱ σοφοὶ Ἀθηναῖοι.* Plut. Cimon. VIII: *Κίμων μετὰ τῶν στρατηγῶν προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς.* Eustrat. ad Aristot. Eth. Nicom. 3, 2, IV[a]: *λέγει δὲ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι, ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαιοθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν.....* cf. ad hunc locum Petersenium (Wien. Stud 7, p. 176). Plura exempla invenies apud Wieselerum in Ersch. et Grub. l. l. p. 205 in adn. 19.

2) cf. l. l. p. 26. idem placuit Sommerbrodtio l. l. p. 88 sqq., p. 96 sq., qui primum quidem eandem fere quam nos proferebat sententiam, tum vero vel plurima Wieselero concedebat.

3) deipn. XIV, 8, p. 617 c—d; Wiesel. l. l. p. 11 sq.

ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν
ἀν ὄρεα Θέμενον μετὰ Ναϊάδων
οἷά τε κύκνον ἄγοντα
ποικιλόπτερον μέλος
τᾶν ἀοιδᾶν κατέστας σὺ Πιερὶς βαθίλει'· ὁ δ' αὐλὸς
ὕστερον χορευέτω.
κ. τ. λ.

His ex verbis Wieselerus conclusit choreutas in pulpito *θυμέλης*, quam *πολυπάταγα* saltando redderent, partes egisse. Quem in locum si accuratius inspexeris mihi concedes de ipso pulpito quodam nihil inveniri. Immo vero *θόρυβος* et *χορεύματα* illa aperte ad tibiarum strepitum spectant, quod ipsis Pratinae verbis *ὁ δ' αὐλὸς .... χορευέτω* satis confirmatur [1]). Id igitur statuam, thymelen pro tota orchestra, cuius medium locum eam obtinuisse veri simile [2]) videtur, ut saepius fit [3]), hoc quoque loco poetice [4]) usurpari. Ceterum Athenaei verba *κατεχόντων τὰς*

---

1) optime contra Odofredum Muellerum (Aeschyli Eumenid. Gotting. 1833, appendic. p. 36) repugnans Godofredus Hermannus (opusc. VI, p. 147) disseruit *ἴβριν* tibicinum non eo consistere quod thymelen occupaverint, quem locum semper eos obtinuisse mox videbimus, sed ea in re quod primas quae chori fuerint partes agere conati sint.

2) cf. Godofr. Hermanni opuscul. VI, 152. Sommerbrodtium l. l. p. 27, Kaweravii l. l. p. 1740 haec verba: »*eine Betonung des Mittelpunctes des Orchestra findet sich in den Theatern zu Epidaurus und im Piraeus. Dort bezeichnet ein besonders eingelegter kreisrunder Stein das Zentrum, hier ist genau im Mittelpunkt ein Loch in den Fussboden eingegraben. Vermutlich dürfen wir diese Zeichen als Reste der Standspuren von Altären ansehen, welche in der Mitte der Orchestra aufgestellt waren*«.

3) Phrynichus ed. Lobeck, p. 163. *θυμέλην. τοῦτο οἱ μὲν ἀρχαῖοι ἀντὶ τοῦ θυσίαν ἐτίθουν. οἱ δὲ νῦν ἐπὶ τοῦ τόπου ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐν ᾧ αὐλῆται καὶ κιθαρῳδοὶ καὶ ἄλλοι τινὲς ἀγωνίζονται. οὐ μέντοι ἔνθα μὲν κωμῳδοὶ καὶ τραγῳδοὶ ἀγωνίζονται λογεῖον ἐρεῖς· ἔνθα δὲ οἱ αὐλῆται καὶ ὁ χορὸς ὀρχήστραν· μὴ λίγε δὲ θυμέλην.* — Vitruv. V, 8, 2: *. . . pulpitum quod λογειον appellant, ideo quod eo tragici et comici actores in scaena peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram praestant actiones itaque ex eo scaenici et thymelici graece separatim nominantur.*

4) cf. Sommerbrodt. l. l. p. 93.

ὀρχήστρας comprobant de orchestra hoc loco cogitandum esse. Iam hunc locum pro Wieselero nihil valere concedes neque de altero quod ille exhibet (l. l. p. 16) exemplo idem mecum statuere dubitabis: versus dico Anthologiae Palatinae (VII, 21) in Sophoclis honorem hosce:

τὸν σὲ χοροῖς μελψάντα Σοφοκλέα παῖδα Σοφίλου
τὸν τραγικῆς Μούσης ἀστέρα Κεκρόπιον
πολλάκις ἐν θυμέλῃσι καὶ ἐν σκηνῇσι τεθηλὼς
βλαισὸς Ἀχαρνίτης κισσὸς ἔρεψε κόμην
τύμβος ἔχει, καὶ γῆς ὀλίγον μέρος· ἀλλ' ὁ περισσὸς
αἰὼν ἀθανάτοις δέρκεται ἐν σελίσιν.

Verbis enim ἐν θυμέλῃσι ita opponuntur ἐν σκενῇσι, ut hic quoque thymelen pro orchestra stare consentaneum videatur[1]), praesertim cum de pulpito nihil afferatur.

Valde miror, quod Wieselerus protulerit Ulpiani quendam locum quo suam ipse refellat opinionem. Verba haec sunt[2]): ἐκέλευε γὰρ ὁ νόμος, τοὺς ξένους προσκαλεῖν πρὸς τὸν ἄρχοντα, τοὺς δ' ἀτίμους ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς χειρὸς καὶ ἐξάγειν ἐκ τῆς θυμέλης. Quidnam faciant ξένοι et ἄτιμοι in pulpito chori proprio?

---

1) eodem modo thymelen scaenae oppositam invenimus in Artemid. oneirocr. II, 3, p. 84: ποικίλην δὲ ἐσθῆτα ἔχειν ἢ ἁλουργίδα ἱερεῦσι μὲν καὶ θυμελικοῖς καὶ οκηνικοῖς καὶ τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις μόνοις συμφέρει. idem II, 30, p. 119: ἀγαθὸν δὲ καὶ οκηνικοῖς, καὶ θυμελικοῖς, καὶ πᾶσι τοῖς ἐς ὄχλον καθιεῖσιν ἑαυτούς. II, 37, p 135: Ἀφροδίτη ἡ μὲν πάνδημος .... καὶ θυμελικοῖς καὶ ἰατροῖς καὶ οκηνικοῖς πᾶσι καὶ ἑταίραις ἀγαθή. — Corp. inscript. Graec. 2820 A... τοῖς θυμελικοῖς καὶ οκηνικοῖς ἀγῶσιν .... idem 6750:

τὴν πολλοῖς δήμοισι πάρος, πολλαῖς [τ]ε πόλεσσι
δόξαν φωναέσσαν ἐνὶ οκηναῖσι λαβούσαν
παντοίης ἀρετῆς ἐν μείμοις, εἶτα χοροῖσι
πόλλακις ἐν θυμέλαις κ. τ. λ.

Strab. X, 9, p. 468 Casaub. τῶν μουσικῶν εἰς ἡδυπαθείας τρεπόντων τὰς τέχνας ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ θυμέλαις καὶ οκηναῖς καὶ ἄλλοις τοιούτοις. — Iustin. Novell. CV de consul..... καὶ τὰς ἐπὶ τῆς οκηνῆς τε καὶ θυμέλης ἡδυπαθείας... Vitruvii locum in antecedentis paginae adn. 3 adscripsi. Nobiscum consentit Sommerbrodtius l. l. p. 31.

2) Ulpian. ad Demosth. Midian. p. 532 Reisk. Wiesel. l. l. p. 17: id ipsum »ἐκ« contra eum repugnat.

Neque vero Geppertio[1]) viro docto assentiri possum, hoc loco thymelen orchestram significare, cum praeter chorum, tibicines, rhabduchos illos, de quibus infra agemus, in Graecorum[2]) orchestra quemquam versatum fuisse nullis veterum testimoniis comprobari possit. Qua de causa equidem crediderim hic thymeles vocem pro toto theatro usurpari, ex quo illi *ἄτιμοι* emissi sint. Quod ne incredibilius videatur, recordemur aliis quoque theatri partibus, ut ipso scaenae verbo, non nostrates solum, sed etiam antiquos ad totum theatrum omnemque apparatum scaenicum significandum usos fuisse. Atque thymeles verbum saepius apud veteres scriptores pro ipso logeo stare Sommerbrodtius (l. l. p. 33 sq. et p. 96) exemplis satis probavit[3]), neque desunt loci, quibus *θυμέλην* pro theatro, *θυμελικόν* pro omnibus quae ad res scaenicas spectant non raro usurpatum fuisse elucet[4]).

Sed redeamus ad Wieselerum, qui etiam verba scholiastae ad Aristidem oratorem[5]) haec protulerit: *ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος. περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ. κωμῳδηθεὶς γὰρ*

---

1) die altgriech. Bühne, Leipzig 1843, p. 208 adn. 4.

2) de Romanorum theatris tradit Vitruv. V, 6, 2: *in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata et eius pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque, uti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus.*

3) conferas Bekk. anecd. p. 42 quem locum in p. 17 adn. 1 adscripsi. Reliqua invenies apud Albertum Muellerum l. l. p. 130 sq. adn. 6. et in Geppertii libri de vetere Graecorum scaena p. 208 adn. 4.

4) Corp. inscript. Graec. 349 et 4315 *θυμελικὴ σύνοδος* collegia significat quae histriones constituere solebant. idem 1625 haec exhibet verba: .... *ἔν τε* [τ]αῖ[ς] *γεινομέναις θεωρίαις τοῦ θυμελικοῦ πάντας τοὺς* [θ]*ωμένους καὶ τοὺς συνελθόντας ἀπὸ τῶν πόλεων ἐγκύκλιον ἐν τῷ θεάτρῳ....* Opponuntur *ἐν τῷ θυμελικῷ καὶ γυμν*[ικ]*ῷ ἀγῶνι* in Corp. inscript. 4493. Plut. praecept. ger. reipub. XXXI, 6 Dübn. *δεῖ μήτ' ἐπὶ στάδια καὶ θυμέλας καὶ τραπέζας* (*καταβαίνειν*) *πένητα πλουσίοις ὑπὲρ δόξης καὶ δυναστείας διαγωνιζόμενον.* Polem. apud Athen. XV, 56 p. 699a: *τούτων δὲ πρῶτος εἰσῆλθεν εἰς τοὺς ἀγῶνας τοὺς θυμελικοὺς Ἡγήμων καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἐνίκησεν ἄλλαις τε παρῳδίαις καὶ τῇ Γιγαντομαχίᾳ.* Reliqua exhibet Wieselerus in Ersch. et Grub. l. l. p. 228 sq. adn. 140—42.

5) ed. Dindorf. tom. III, p. 444. Wieseler. l. l. p. 17.

παρὰ Εὐπόλιδος ἔρριψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον, εἰπὼν

βάπτε με ἐν θυμέλῃσιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντου
βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις.

Sed his quid de pulpito chori demonstretur equidem non video. Veri similius nimirum videtur Eupolidem Alcibiadi in scaena per histriones illusisse, quam quod cum Sommerbrodtio (l. l. p. 30) de chori comici cantibus cogitemus, unde sequeretur, ut hoc quoque loco pro orchestra thymelen positam putaremus.

Restant demum apud Wieselerum pro argumentis allata inscriptio quaedam Aquileiae urbis [1]) atque Cyrilli, quod nostrates vocant lexicon, Guidianique verba, de quibus supra (p. 17 adn. 2) disputavimus.

Pauca tantum verba de nonnullis vasorum picturis, quibus thymeles simulacra traduntur, nunc nobis afferre liceat, ut has quoque Wieseleri opinioni minime auxiliari intellegas [2]). Quae picturae omnes eo consentiunt quod humiles suggestus praebent, in quibus musicus quidam sive tibicen sive citharista versatur, qui duabus in picturis solus locum obtinet. Tertia, quam primam describamus picturam [3]), in humili suggestu duobus gradibus composito tibicinem monstrat et alteram quandam figuram requiete stantem, quorum uterque coronatus est. Atque *Νῖκαι* quae vocantur duae, una ab utraque parte, ad thymelen advolant, quarum altera taeniam quam Graeci nominabant victoriae praemium manibus tenet. Qua pictura dithyrambum fingi Wieselero suadente [4]) nos quoque arbitramur, ut hac ex pictura

1) Corp. inscript. Graec. 6750, quae verba invenies sub p. 21 adn. 1.

2) longum est in omnes huius generis picturas inquirere, ut satis habeamus liceat in iis quas Wieselerus exhibet in libro suo quem inscripsit Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens (Göttingen 1851). Easdem invenies depictas in Panofkae libro: Bilder antiken Lebens (Berlin 1843). Duas alias picturas affert Gerhard: auserles. griech. Vasenbild. (Berlin 1840) tom. I, tabul. 6, 2 et tabul. 68.

3) invenies optime depictam in Panofk. l. l. tabul. IV, 9; eandem exhibet Wieselerus l. l. tabul. IV, 7, quam in pag. 34, 7 describit.

4) qui primum quidem (thymel. p. 52) de certamine musico in Dionysi theatro cogitabat, tum vero ipse se erravisse profitebatur in opusculo cui titulum inscripsit das Satyrspiel (in Göttinger Stud. 1847,

de ludis scaenicis nihil comperiamus. Ipsam thymelen formam humilis suggestus praebere modo diximus, cuius de specie utrum ampla an angusta sit equidem diiudicare non ausim [1]).

Ceterarum picturarum unam tibicinem, alteram citharistam in thymele versantem exhibere iam commemoravimus; quae eo consentiunt quod duos utraque iuxta thymelen versantes ῥαβδούχους [2]) ostendit. Neque hae ullo modo ampli pulpiti speciem praebent, quarum una [3]) dilucide formam arae quadratae satis altae, in qua tibicen stat, altera [4]) humilis suggestus, quo barbatus citharista sua agit, exhibeat; ῥαβδοῦχοι illi primo loco in sellis sedentes, altero stantes finguntur.

Videamus nunc, quid ex his picturis concludendum sit. Semel tantum hominem choreutae similem in thymele versantem vidimus, quo loco de theatri thymele iusto iure dubitandum erat, aliis quos afferebamus locis chori in pulpito saltantis vestigium nullum invenimus. Quid ergo? num putabimus Graecos artifices in depingenda thymele, quippe quam pulpitum amplum atque altum chori proprium finxerit Wieselerus, omnes illos duodecim vel quindecim choreutas plane omisisse? incredibile id quidem! nec iam dubitabis, quin vasorum picturae, quamvis minorem persuadendi vim habeant, pro Wieseleri opinione ne umbram quidem argumenti afferant.

---

abteil. 2, p. 588 in adnotat.), quo sententiam quam nos recepimus protulit, cum altera vasis pars, quam Panofka l. l. IV, 10 depinxit, aperte ad dithyrambum spectet.

1) Wieselerus (Bühnendenkmäl. p. 34, 7) satis audacter contendit: »*somit haben wir ..... uns das scheinbar kleine Gerüst als von bedeutendem Umfange zu denken.*«

2) cf. schol. Platon. p. 99, Ruhnk. ῥαβδοῦχοι ἄνδρες τῆς τῶν θεάτρων εὐκοσμίας ἐπιμελούμενοι, qui alias ῥαβδοφόροι vocantur.

3) Wiesel. l. l. tabul. IV, 6 qui in describenda ea his utitur verbis: »*Thymele ganz von der Form eines Altars*« (l. l. p. 34, 6). eandem fere thymeles formam demonstrat pictura quaedam apud Gerhardum l. l. I. tabul. 68, de qua vir doctus hanc profert sententiam (I, pag. 195): »*als apollinisch bezeichnen wir einen Herakles, der kitharspielend, mit Löwenhaut, Köcher und Schwert angethan, die Thymele betritt*«.

4) Panofka l. l. tabul. IV, 8 qui eam »*Tribuene* (βῆμα)« appellat.

Sed quaeras forsitan, quam nos profiteamur de thymele sententiam. Qua in re opportune nobis offeruntur Sommerbrodtii (l. l. p. 34) verba: »*thymelen proprie fuisse aram, eamque, exstructo apud Graecos theatro, in orchestra positam mox ipsius orchestrae vim obtinuisse ac potestatem*«. Multum igitur abest quin de amplo quodam pulpito cogitemus. Atque optime nobis auxiliantur Pollucis (IV, 123) illa verba: *θυμέλη εἴτε βῆμά τι οὖσα εἴτε βωμός*, neque in eo offendamus, quod aram suggestus similem posuerimus, cum testimonium huius rei praesto sint Eustathii (p. 722, 25 ad Hom. Iliad. 8, 441) haec verba: *βωμὸς οὐ μόνον ἐφ' ὧν ἔθυον, ἀλλὰ καὶ κτίσμα τι ἁπλῶς καὶ ἀνάστημα, ἐφ' οὗ ἔστι βῆναί τε καὶ τεθῆναι.*

Hac in thymele, circa quam, in orchestra scilicet, chorus saltabat, tibicinem vel citharistam stetisse simulacra illa opportune testantur, cum iam ex rerum natura eluceat illos, quos ad chori carmina fidibus vel tibiis cecinisse satis notum est, elatum quendam locum in orchestra obtinuisse [1]).

De rhabduchis illis aliam sententiam proferam quam Albertus Muellerus (l. l. p. 136 et p. 301), qui Wieselerum secutus praeter chorum et tibicinem hos quoque in thymele posuit. Nam duo illa simulacra rhabduchos non in ipsa thymele sed iuxta eam sive stantes sive sedentes praebent. Neque nobis repugnat scholiasta, qui ad Aristophanis Pacis v. 733, Duebn. haec adnotat: *ἦσαν ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόροι τινὲς, οἳ τῆς εὐκοσμίας ἐμέλοντο τῶν θεατῶν, ἢ ῥαβδούχους εἶπέ τοὺς κριτὰς τοῦ ἀγῶνος, οὓς ὁ ποιητὴς αἰσυμνήτας εἶπεν* [2]), cum quibus locis ille thymeles voce utatur de ipso logeo cogitemus necesse sit [3]). Quamobrem eo inclinaverim, ut autumem hoc scholiastae

---

1) qua de re omnes fere viri docti consentiunt. Conferas ad hunc locum schol. ad Aeschin. Timarch. (Abhandl. der Berlin. Academie der Wissenschaft. 1836. p. 288): *ἐν τοῖς χοροῖς δὲ τοῖς κυκλίοις μέσος ἵστατο αὐλητής*, quae verba etiam ad chorum quem dicunt tragicum quadrare Wieselerus (thymele p. 43) satis probavit. Reliqua de hac re invenies apud Albertum Muellerum l. l. p. 136, adn. 1.

2) repetiit Suidas s. v. *ῥαβδοῦχοι*.

3) cf. schol. ad Equit. v. 149 Dübn. ..... *ὡς ἐν θυμέλῃ δὲ τὸ ἀνάβαινε* (idem placuit Schoenbornio l. l. p. 317 in adn.). idem ad

loco *ἐπὶ τῆς θυμέλης* non *in thymele* sed *prope logeum* vertendum esse, quam opinionem pictura quaedam in Pompeianae domus pariete detecta[1]) optime illustrat. Hoc loco duos videmus viros barbatos bacula gerentes qui sedentes in sellis collocatis paullo humiliore loco quam quo logeum cernitur plane neglegunt, quae in logeo illo per quinque histriones agantur, atque oculos ad theatri caveam dirigentes picti sunt. Quos *ῥαβδούχους* vel votius *ῥαβδοφόρους* esse Wieselero auctore pro certo habemus.

Restat, ut de rhabduchis, quos in vasorum picturis[2]) prope thymelen sive sedentes sive stantes invenimus, perpauca proferamus. Qui cum illis eo quidem consentiunt, quod uno excepto viri maiores natu quippe barbati apparent, qui bacula manibus tenent, sed dilucide ab illis Pompeianae picturae rhabdophoris differunt eo quòd ad thymelen conversos aures animumque ad ipsum citharistam sive tibicinem contendentes se praebent. Neque equidem dubito, quin isti certaminis iudices sint[3]), quos prope thymelen versatos esse veri similius videatur. Qua de causa disiungendum esse statuam inter ministros publicos, quos prope logeum, et certaminis iudices, quos iuxta thymelen ponam, praesertim cum illos *ῥαβδοφόρους*, hos *ῥαβδούχους* scholiasta ille diverse appellaverit.

Quid plura? Iam satis demonstrasse videor de pulpito quodam chori gratia in orchestra exstructo non esse cogitandum.

Equit. v. 432: *τούτεστιν, ὃ κατέθετο τῶν ἀλλάντων φθάσας ἐπιὼν, τοῦτο πάλιν ἀναιρόμενος τῆς θυμέλης ἐξάγει.* idem ad eiusd. fabul. v. 482: *τὸ μὲν Κλέωνος τῆς θυμέλης ὑπεξῆλθε πρόσωπον, τὴν βουλὴν δῆθεν κινῆσαι κατ' αὐτῶν.* ad. v. 519: *οἷον, τοῖς νέοις χαίροντας ἀεὶ τῶν ποιητῶν καὶ μὴ τοῖς ἀρχαίοις καὶ εἰς τὴν θυμέλην παριοῦσι πρῶτον.* Nobiscum consentiunt Geppertius l. l. p. 208 adn. 4 et Wieselerus in Ersch. et Grubl. l. p. 228 adn. 140.

1) invenies hanc picturam in Wieseleri libri tabul. XI, 2 (quam descripsit ille pag. 83, 2 et in opusculi de thymele compositi pag. 47sq.) atque in Baumeisteri monum. II, p. 825.

2) Wiesel. l. l. tabul. IV, 6. Panofk. l. l. tab. IV, 8.

3) quod et Wieselero l. l. p. 34, 6 et Panofkae l. l. p. 7, 8 placuit.

Neque inconsulto Graeci chorum humiliore loco collocabant quam quo heroes vel reges versarentur. Nam satis notum est chorum semper fere partes egisse ministrorun vel comitum eorum qui in scaena stabant, atque ex ipsis fabulis elucet chori proprium fuisse ita se gerere, ut raro tantum ipsi admisceretur actioni, quod Horatius hisce verbis docet [1]):

actoris partes chorus officiumque virile
defendat, neu quid medios intercinat actus,
quod non proposito conducat et haereat apte.
ille bonis faveatque et consilietur amice
et regat iratos et amet pacare tumentes.

Quod si opus fuit, scalae illae quas supra commemoravimus aptum choreutis atque commodum aditum in logeum praebebant, ut histrionibus propius adstarent.

Sed his de ipsa scaena atque orchestra satis cognitis transeamus ad alteram opusculi partem, qua ex ipsis fabulis quid de rebus scaenicis concludendum sit explicabimus.

1) art. poet. vv. 193—97.

II.

Quantumvis orchestram a logeo prorsus disiungendam esse arbitramur, tantum tamen abest, ut omnem denegemus chori cum histrionibus necessitudinem, ut Pollucis illa verba: *καὶ σκηνῇ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ᾗ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ* aliqua ex parte tantum pro certo habeamus. Neque enim viros doctos qui accuratius in fabulas inspiciebant fugit, quibusdam locis non solum chori ducem, verum etiam omnes choreutas ita histrionum actioni admisceri, ut chorum in ipsum logeum ascendisse consentaneum videatur. Cuius rei exempla colligere non supervacaneum habuimus, ut in his satis firmatis quasi in fundamento reliqua quae proposuimus facilius exstruamus.

Primum testimonium Aeschyli[1]) Supplices nobis praebent, qua in fabula plus semel chorum in logeum se contulisse accipiamus necesse est. Tragoedia ineunte chorus peregre adveniens per sinistram ingreditur parodum. Danaus post primum quod vocant *στάσιμον* in scaenam per sinistrae quantum video versurae aditum progressus filias suas Danaidas quae chorum conficiunt adhortatur, ut ad aram et *ἀγάλματ' αἰδοίου Διός* (v. 178), quae in scaena stabant, confugiant, cum periculum immineat:

ὄχλον δ' ὑπασπιστῆρα καὶ δορυσσόον
λεύσσω ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ' ὀχήμασιν. (v. 168 sq.)

Verbis eius oboediens chorus relicta orchestra logeum ascendit et in gradibus arae prope Danaum consedit:

θέλοιμ' ἂν ἤδη σοὶ πέλας θρόνους ἔχειν (v. 194).

---

1) In Aeschyli tragoediis citandis Godofredi Hermanni editionem secutus sum.

Atque ex ipsa fabula elucet Danaidas in logeo prope aram remanere usque ad versum 988, quo patrem secutae in orchestram redeunt et ἔξοδον quam vocant cantantes per dextram parodum egrediuntur[1]).

Summas difficultates Aeschyli Prometheus offert, quas omnes diluere equidem non ausim. Nam cum haec tragoedia maxima ex parte in alto agatur, etiam chorum Oceanitidum per aërem machinarum ope advolantem fingamus oportet. Atque conferas ipsa chori haec verba:

φιλία γὰρ ἥδε τάξις
πτερύγων θοαῖς ἁμίλλαις
προσέβα τόνδε πάγον κ. τ. λ. (v. 128 sq.)

et quae paullo post sequuntur:

σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ[2]) (v. 135).

Tum (v. 280) chorum machinas reliquisse et in logeum descendisse ipse hisce[3]) testatur verbis:

καὶ νῦν ἐλαφρῷ
ποδὶ κραιπνόσυτον, θᾶκον προλιποῦσ'
αἰθέρα θ' ἁγνόν, πόρον οἰωνῶν
ὀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ.

Num Oceanitides in orchestram descenderint, diiudicari non potest; quas in fine fabulae in logeo prope rupem cui Prometheus adhaeret versatas esse eo elucet, quod Mercurius, ne cum Prometheo pereant, eas discedere iubet his verbis:

ἀλλ' οὖν ὑμεῖς γ' αἱ πημοσύναις
συγκάμνουσαι ταῖς τοῦδε τόπων
μετά που χωρεῖτ' ἐκ τῶνδε θοῶς (v. 1062 sqq.)

---

1) qui de reliquis mecum consentit Schoenbornius in fine fabulae chorum per scaenae quandam portam educit (l. l. pag. 286). Sed veri similius videtur chorum quinquaginta sex versus qui ἔξοδον conficiunt in orchestra cecinisse.

2) idem placuit scholiastae, qui ad hunc locum adnotat (Aeschyli fabul. cum lectionibus et scholiis edidit Wecklenius v. 130): ταῦτα δέ φασιν διὰ μηχανῆς ἀεροδονούμενα. ἄτοπον γὰρ κάτωθεν διαλέγεσθαι τῷ ἐφ' ὑψοις (Prometheo scilicet). ἐν ὅσῳ δὲ Ὠκεανῷ προσλαλεῖ, κατίασιν ἐπὶ γῆς.

3) quibus plane refellitur Schoenbornii sententia, qui chorum semper in aëre versantem fecit (l. l. p. 293).

In fine Persarum chorum Xerxem supra logeum in domum regiam consecutum fuisse[1]) veri simillimum est, cum iam v. 525 Atossa a senibus qui chorum efficiunt petiverit, ut comitentur regem qui ipse (v. 1035) exclamat:

αἰαχτὸς ἐς δόμους κίε.

Veniamus ad Septem adversus Thebas. Chorus virginum ex urbe in orchestram per dextram parodum v. 78 progreditur[2]) atque tum pugnae tumultu perterritus ad simulacra deorum quae prope domum regiam collocantur v. 95 confugit. Quem locum relinquit v. 270 Eteocle iubente:

καὶ πρός γε τούτοις ἐκτὸς οὖσ' ἀγαλμάτων
εὔχου τὰ κρείσσω ξυμμάχους εἶναι θεούς (v. 248 sq.)

In fine fabulae chorus in duas partes divisus cum Antigone et Ismene Polynicis et Eteoclis exanimata corpora per sinistram dextramque parodum ex orchestra comitantur[3]).

Discrepant inter se viri docti, quomodo Eumenides in cognomine fabula in conspectum venerint, tamen omnes, quantum scio, in ipsa scaena eas apparuisse consentiunt. Atque equidem crediderim v. 66 quo Apollo cum Oreste et Mercurio ex templo, quod mediae portae locum tenet, progrediuntur, per apertas portas nonnullas quidem Eumenides dormientes vidisse spectatores[4]). Atque usque ad versum 233 quo scaena commuta-

---

1) idem placuit Schoenbornio l. l. p. 197.

2) quem in logeo iam in primo apparuisse Schoenbornius p. 127 maluit.

3) totam pompam funebrem Schoenbornius p. 129 in scaenam transtulit, quamvis et is chorum exeunte fabula in orchestra fuisse censuerit. Sed hanc in rem infra accuratius inquiremus.

4) Schoenbornius p. 209 sq. scholiastae verbis nisus duobus *ἐκκυκλήμασι* quae vocantur illas in logeum provolutas esse censebat. Sed Odofredus Muellerus (Eumenid. p. 105) de his machinis hoc loco cogitari non posse iam satis comprobavit, qui aulaeo quodam retracto interiora templi in conspectum venisse maluit. Contra eum repugnans Godofredus Hermannus (opuscul. VI, part. II, p. 166) de scaena ductili cogitabat, quam Servius (ad Verg. Georgic. III, 24) commemorat, atque demum v. 97 Eumenides apparuisse contendit. Me si sequaris,

tur[1]) in logeo remansisse chorum veri simile videtur. Quem in altera tragoediae parte per sinistram ingressum parodum (v. 243) in orchestra partes egisse consentaneum est.

Videsne quam saepe in Aeschyli fabulis (nam duarum tantum desunt exempla) chorus in scaena versatus fuerit?

Sophoclis[2]) tragoediarum unum tantum inveni locum, dico Oedipi Colonei versum 856, de quo Schoenbornio (p. 278) assentiar chori senes logeum ascendisse, ut Oedipo contra Creontem auxilium ferrent[3]).

In Euripidis[4]) Orestis initio intuebantur spectatores Orestem dormientem in lecticula collocata ante domum regiam, quae ad mediam scaenae portam spectabat, atque Electram iuxta lecticulam sedentem fratremque custodientem. Haec feminarum chorum ingredientium v. 132 admonet, ne propius accedant neve Orestem e somno excitent. Atque ex ipsis Electrae chorique verbis satis elucet choreutas iam in ingrediendo prope lecticulam versari, ut equidem non dubitem, quin chorus in logeum per dextrae versurae aditum progressus[5]) post Electrae verba:

---

omnia perlucida fiunt: atque Apollinem (v. 69) et Clytaemnestrae umbram (v. 97) loquentes faciamus prope apertam templi portam, ex qua Eumenides in logeum proruunt (p. 143), quas spectatores iam prius conspexisse vix comprobari possit.

1) scaenam commutatam fuisse Schoenbornius p. 213 mihi quidem persuasit, quod Muellerus (Eumenid. p. 106) denegavit.

2) ex recensione Dindorfii, Oxonii 1849.

3) Kolstero (sophocl. Studien p. 60 sqq.), quocum in describenda huius fabulae scaena maxima ex parte consentio, concedere non possum chorum a Creontis ministris, qui scalas logei obtinuerint, prohibitum esse, ut in scaenam se conferret, cum Creontis verba: *μὴ ψαύειν λέγω* (v. 856) et reliqua quae ad chorum loquitur aperte demonstrant choreutas illi proximos, in logeo scilicet, adstare.

4) Euripidis versus cum Kirchhoffio numero.

5) quod noluit Schoenbornius (p. 150 sq.) qui chorum per dextram parodum induxit; sed neglexit vir doctus, carmen illud quod sollemniter ingredientes choreutae cantare solent huic fabulae deesse. Conferas velim argumenti Aristophanis grammatici verba: .... *πρὸς τὰ τοῦ Ἀγαμέμνονος βασίλεια ὑπόκειται Ὀρέστης κάμνων καὶ κείμενος ὑπὸ μανίας ἐπὶ*

οὐκ ἀφ' ἡμῶν, οὐκ ἀπ' οἴκων
πάλιν ἀνὰ πόδα σὸν εἰλίξεις
μεθεμένα κτύπον; (v. 166 sqq.)

in orchestram descenderit. Quam iterum relinquunt feminae ab Electra in logeum vocatae[1]):

στῆθ' αἱ μὲν ὑμῶν τόδ' ἁμαξήρη τρίβον
αἱ δ' ἐνθάδ' ἄλλον οἶμον εἰς φρουρὰν δόμων (v. 1251 sq.),

ut aditus custodiant ad domum regiam, cui proxime illas adstare ex ipsis chori verbis concludamus necesse est hisce:

τίς ὅδ' ἄρ' ἀμ-
φὶ μέλαθρον πολεῖ σὸν ἀγρότας ἀνήρ; (v. 1286 sq.)

atque ex versu 303 sq.:

σιγᾶτε σιγᾶτ'· ἠσθόμην κτύπου τινὸς
κέλευθον εἰςπέσοντος ἀμφὶ δώματα.

Quo tandem loco chorus in orchestram redierit, pro certo affirmare nequeo, tamen veri simile videtur eum versus 1545 sqq. iam in orchestra cecinisse.

Chorum in Medeae v. 1265 in logeum se contulisse mirum in modum Schoenbornius (p. 144) denegavit, quod eius chori feminae non in ipsam domum regiam intraverint, sed *ἐγγὺς στέγης* (v. 1282) constiterint. Tamen ineptae illae viderentur loquentes:

παρέλθω δόμους· ἀρῆξαι φόνον
δοκεῖ μοι τέκνους,

nisi quantum possent Medeam a caede liberorum precibus prohibere conarentur, quibus videlicet natura invalidis vires deerant ad obstructas domus portas aperiendas, quarum claustra tandem per Iasonis ministros revelluntur (cf. v. 303 sqq.).

κλινιδίου, ᾧ προσκαθέζεται πρὸς τοῖς ποσὶν Ἠλέκτρα· διαπορεῖται δέ, τί δήποτε οὐ πρὸς τῇ κεφαλῇ καθέζεται. οὕτω δὲ μᾶλλον ἐδόκει τὸν ἀδελφὸν τημελεῖν πλησιαίτερον οὕτω προσκαθεζομένη. ἔοικε οὖν διὰ τὸν χορὸν ὁ ποιητὴς διασκευάσαι. διηγέρθη γὰρ ἂν ὁ Ὀρέστης ἄρτι καὶ μόγις καταδραθεὶς πλησιαίτερον αὐτῷ τῶν κατὰ τὸν χορὸν γυναικῶν παριστάμενων. ἔστι δὲ ὑπονοῆσαι τοῦτο ἐξ ὧν φησιν Ἠλέκτρα [τῷ χορῷ]· οἴγα, οἴγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης κ. τ. λ. (quae postrema verba Kirchhoffius quidem choro tribuit).

1) Schoenbornius (p. 152) chorum in orchestra remansisse atque parodos custodivisse maluit.

Eo meliorem sententiam de Rhesi re scaenica protulit Schoenbornius (p. 244 sq.), quem eo sequar quod partem chori Ulixem sectantem per sinistrae versurae aditum (v. 666) in logeo apparentem, partem per sinistram parodum prodeuntem faciam.

Euripidis Supplicum chorus duabus consistit ex partibus, quarum prior, matres septem ducum in proeliis ante Thebarum portas occisorum, ineunte fabula cum Aethra prope aras in logeo versantur. Servae earum v. 72 in conspectum veniunt, atque has, cum alteras chori partes peragant, per dextram parodum in orchestram inducam [1]). Tum (v. 336) illas in orchestram descendisse et cum his coniunctas ibidem ad finem dramatis remansisse Schoenbornio (p. 189) libenter concedo.

Chorum ab Helena in cognominis Euripidis dramatis v. 333 vocatum relicta orchestra cum illa in domum regiam, quae mediam scaenae portam obtinebat, se recepisse (v. 386) Schoenbornius (p. 200) argumentis sufficientibus probavit. Unde sequitur, ut eadem via v. 516 in logeum chorus progressus sit, quem, cum quare illic remaneat causam non habeat, statim in orchestram descendentem ibique remanentem fingam, dum v. 1628 iterum in scaenam se confert, ut Theoclymenum a vindicando prohibeat in Theonoem sororem, quippe quae Menelai Helenaeque fugam non impediverit. Quae versu 1630:

οὐκ ἀφήσομαι πέπλων σῶν

ceterisque chori verbis satis illustrantur. Denique Tyndaridis apparentibus (v. 1643) in orchestram rediens chorus exeunte fabula per dextram egreditur parodum.

Omnes quantum scio viri docti mecum consentiunt in Aristophanis [2]) Pace bis a choro logeum ascendi, primum quidem v. 426, ut choreutae cum Trygaeo ceterisque Pacem deam ex antro trahant, quo facto (v. 732) in orchestram redeunt, tum vero v. 1316 quo in logeum se conferunt, ut Oropam et Trygaeum e domo arcessant

1) servas quoque in logeo apparentes fingit Schoenbornius (p. 190), quod equidem recusem, quia quibus locis matres illae in scaena versantes nominantur servarum nulla mentio fit (cf. vv. 10, 102, 360).

2) Aristophanis fabularum Dindorfii editione usus sum.

eosque in fine comoediae rus comitentur per pompam nuptialem, quam per orchestram iter fecisse consentaneum videtur [1]).

Plutum in fine cognominis comoediae Chremylus cum ceteris in templum Minervae, quod extra scaenam situm fingebatur, magna pompa comitatur. Quos secutum esse chorum atque logeum ascendisse maluerim, quam quod cum Schoenbornio [2]) (p. 297) histriones in orchestram deducam, quoniam ἔξοδος quae dicitur huic fabulae deest, quam si sollemni via e conspectu venissent choreutae haud dubie cecinissent.

In Avium v. 364 chorus impetum facit in histriones qui in scaena versantur, sed paullo post aves upupae verbis pacatae in orchestram redeunt [3]) (v. 400). Atque idem fit in Vesparum v. 422, quo chori senes Philocleoni succurrentes statim a servis in orchestram repulsantur.

Aristophanis Lysistrate valde abhorret a ceteris fabulis, duos choros exhibens, unum senum, anuum alterum. Senes v. 254 per dextram ingressi parodum impetum facientes in scaenam illico a fortibus mulieribus, quae v. 319 in logeo apparebant, in fugam coniciuntur et in orchestra remanere coguntur [4]).

---

1) Schoenbornius (p. 341) chorum cum histrionibus supra logeum exiisse voluit, quod minus quadrat ad hymenaeum viginti septem versuum quem in egrediendo illi cantant.

2) quocum consentit Ernestus Droysenius (quaestiones de Aristophan. re scaenic., dissert. inaugural. Bonnae 1868, p. 57), ad quem cum diligentissime in Aristophanis fabulas inquisiverit saepius in sequentibus respiciemus.

3) de fine huius fabulae idem quod de Pluti exitu statuam, cum veri similius videatur pompam nuptialem v. 1720 in orchestra apparuisse, quam quod Droysenium secuti (l. l. p. 60) Peisthetairum cum Basileia logeum intrasse et in orchestram descendisse fingamus. Nam in ipso ingrediendo chorus illos circumdat, quos postremo (cf. v. 1755 Peisthetairi verba: ἕπεσθε νῦν γάμοισιν) supra logeum in domum sponsi comitatur. Neque Schoenbornii (p. 322) diversam de hac re sententiam comprobare possum.

4) causam non video, cur cum Schoenbornio (p. 299) senum chorum iam hoc loco diutius in scaena versatum esse accipiam, quod et Droysenius (l. l. p. 60) noluit. Atque conferas quaeso verba scho-

Demum v. 1021 anus in orchestram descendunt, ut pacem cum senibus faciant, qui post versum 1188 logeum ascendunt [1]) et ante arcis portam, quae in scaena ficta est, consistunt, quo loco inde a versu 1221 cum ianitore colloquia faciunt, donec in fine fabulae cum Lacedaemoniis, Atheniensibus, omnibus mulieribus logeo relicto per orchestram *ἔξοδον* cantantes egrediuntur.

In Thesmophoriazusarum v. 295 chorum, qui cum histrionibus suas partes coniunctim agat, in logeo apparuisse omnes viri docti pro certo affirmant, atque eum v. 655 in orchestram se contulisse Schoenbornius (p. 306) bene disseruit. Ecclesiazusarum fabula eandem fere praebet speciem quam Thesmophoriazusae, cum hic quoque chorus quandam actionis partem susceperit, quo fit, ut singulae chori feminae v. 30 sqq. in ipso logeo in conspectum veniant. In ipsam huius fabulae actionem accuratius inquirere supervacaneum est, quoniam hac in re satis operam consumpsit Schoenbornius (p. 329 sqq.), quocum chorum v. 285 in orchestram deducam.

Iam mihi concedes non raro fieri, ut chorus in logeo quamvis ad tempus commoretur. Neque vero e contrario desunt loci quibus histriones sive qui cum choro coniunctim partes agunt sive qui per parodos egrediuntur de logeo in orchestram descendentes inveniuntur. In Aristophanis Pace, ut chorum duobus locis in scaena versantem videbamus, ita Trygaeum bis de logeo in orchestram se contulisse statuamus. Quem primum quidem v. 727 cum duabus diis de caelo in terram redeuntem scalis illis in orchestram descendisse scholiasta his verbis

---

liastae ad v. 321 haec: *νῦν ἐστιν ἡμιχόριον τὸ λέγον ἐκ γυναικῶν εἰσερχομένων ἄνωθεν, ἵνα καὶ τὸ ὕδωρ αὐτῶν καταχέωσιν ἄνωθεν. τὸ δὲ ἄλλο ἡμιχόριον ἐξ ἀνδρων κάτωθεν ἐπερχομένων ταῖς ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς πολιορκίαν.*

1) idem statuit Schoenbornius (p. 301) de mulierum choro, quod equidem concedere nequeo, cum mulieres carmen viginti octo versuum (vv. 1188-1215) in orchestra cecinisse veri simillimum sit. Tum quae sequuntur (usque ad versum 1239) ante portas arcis clausas aguntur neque de mora quadam, quam ille post versum 1216 posuit, quidquam ipsa fabula docet. Quamobrem maluerim anus post versum 1216 per dextram parodum exiisse, ut post scaenam se conferrent, atque Lysistratem v. 1273 secutas eodem modo quo ceteros in orchestram descendentes egressas esse.

testatur: *κατέλυσε τοῦ οὐρανοῦ τὴν ὑπόκρισιν. κάτεισι γὰρ ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν κλίμαξιν. ἐχόμενος δὲ τῆς Εἰρήνης καταβαίνει ὁ πρεσβύτης ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν. ἴσως δὲ καὶ ὁ χορὸς ἀνῆλθεν εἰς τὴν ἀναγωγὴν τῆς Εἰρήνης* [1]). Tum exit ille cum diis pei sinistram parodum et redit per sinistrae versurae aditum (v. 819) in scaenam, quae inter chori cantus (vv. 729-817) commutata [2]) domum Trygaei ostendit. Quo ex loco ille iterum in orchestram descendit, ut Theorian deam prytanibus tradat, quos primas spectatorum sedes obtinuisse satis notum est, hisce verbis:

ἀλλ', ὦ πρυτάνεις, δέχεσθε τὴν Θεωρίαν·
ὑμᾶς ὡς προθύμως ὁ πρύτανις παρεδέξατο (v. 905 sq.).

Neque enim causa est quare dubitemus, quin ipse Trygaeus in orchestram descenderit et deam prytanibus dederit, qui cum v. 882 se ipsum illam traditurum pronuntiaverit [3]). Praeterea Schoenbornius (p. 340), quocum de reliquis dissentio, recte affert etiam v. 923 deam in omnium conspectu fuisse, quo loco Trygaeus choro interroganti, quid faciendum sit, respondet:

τί δ' ἄλλο γ' ἢ ταύτην χύτραις ἱδρυτέον

iocose respiciens ad usum quendam Graecorum quo deorum

1) nobiscum consentit Hoepkenius l. l. p. 14 et p. 30. Albertus Muellerus (l. l. p. 24 adn. 3) secutus Wieselerum (in Ersch. et Grub. l. l. p. 228 adn. 139) censebat hoc loco *ὀρχήστραν* pro logeo usurpari. Sed hic verbi usus apud nostrum alias non invenitur, qui potius quibusdam locis orchestram logeo opponit, ut ad Ranar. v. 181 Dübn: *ἐνταῦθα δὲ τοῦ πλοίου ὀφθέντος ἠλλοιῶσθαι χρὴ τὴν σκηνὴν καὶ εἶναι κατὰ τὴν Ἀχερουσίαν λίμνην τὸν τόπον ἐπὶ τοῦ λογείου, ἢ ἐπὶ τῆς ὀρχήστρας, μηδέπω δὲ ἐν Ἅιδου.* ad Ranar. 297, 37 Dübn. *φαίνονται δὲ οὐκ εἶναι ἐπὶ τοῦ λογείου, ἀλλὰ ἐπὶ τῆς ὀρχήστρας, ἐν ᾗ ὁ Διόνυσος ἐνέβη κ. τ. λ.* Neque scholiastae ad Equit. v. 508 verba: *ἑστῶσι μὲν* (*χορευταί* scilicet) *γὰρ κατὰ στοῖχον οἱ πρὸς τὴν ὀρχήστραν ἀποβλέποντες. ὅταν δὲ παραβῶσιν, ἐφεξῆς ἑστῶτες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται* Muelleri opinionem satis firmant.

2) Schoenbornius (p. 334 sqq.), qui cum omnia ex versu 150 usque ad versum 728 in alto fieri arbitretur, scaenam mutatam fuisse denegat, quem Droysenius (l. l. p. 49 sqq.) satis redarguit, qui eandem quam nos protulit sententiam. Niejahrus (quaest. Aristoph. scaenic. p. 21 sq.) satis audacter omnes res scaenicas tractans hac quoque in fabula spectatores eandem scaenam semper ante oculos habuisse contendit.

3) conferas schol. codic. Raven. ad verba: *εἰς μέσους ἄγων: τοὺς θεατὰς ἢ τὸ βουλευτήριον.* Idem quod nobis placuit Hoepkenio l. l. p. 8 sq.

arae vel simulacra ollis depositis dedicabantur[1]). Quare mihi se obtulit sententia, quam pro certo quidem affirmare non ausim, dixerim tamen probabilem, non histrionem deae partes egisse, sed ligneam statuam illius specie fictam, quocum bene consentit, quod Theoria dea ne unum quidem verbum profert neque impudentes servi impetus (v. 876 sqq.) repulsat. Hoc si accipiamus, omnia perlucida fiunt, atque perridiculam speciem ille statuam per orchestram apportans eamque prope spectatorum sedes collocans praebebat[2]).

Philocleonem in Vesparum v. 1515 in orchestram descendisse, ut cum Carcinitibus saltatione concertet, ne Schoenbornius quidem negavit, qui de reliquis semper fere a nobis dissentiat. Neque nos quidem dubitamus, quin in Nubium v. 1104 qui histrio partes *λόγου δικαίου* egerit pallio in orchestram deiecto logeum per scalas reliquerit et per parodum nescio utram e theatro evaserit, cum alio modo illud *ἐξαντομολεῖν* vix fingi potuerit[3]). Nam saepius in fabulis Aristophanes per histrionum verba ipsos spectatores actioni admiscet, quibus locis actores quam proximos illis fuisse per se apparet[4]).

1) qua de re haec verba in Immanueli Bekkeri Aristophanis editionis tom. V, p. 350 ad v. 1197 leguntur: »*intelliguntur ollae cum leguminibus coctis, quas libare solebant, si erigerent et dedicarent aut aram aut statuam*«. Ac conferas Pluti v. 1197 sqq.:

τὰς χύτρας, αἷς τὸν θεὸν
ἱδρυσόμεσθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε

quem ad locum scholiasta adnotat: *ἔθος γὰρ ἦν ἐν ταῖς ἱδρύσεσι τῶν ἀγαλμάτων ὀπρίων ἡψημένων χύτρας περιπομπεύεσθαι ὑπὸ γυναικῶν ποικίλως ἠμφιεσμένων.*

2) obscaenissimi illi versus 886 sqq. multo probabiliores fiunt, si statuam servum vestimentis exuisse comprobamus. Atque bene quadrat ad nostram opinionem, quod scholiasta de Pacis deae persona haec tradit (prolegg. de comoed. Dübn. XIII, 20): *κωμῳδεῖται (Ἀριστοφάνης* scilicet*) δὲ ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα*, quibus satis comprobatur tres illas deas statuas fuisse.

3) Schoenbornii quae affert argumenta (p. 350), ut illum per scaenae portam egressum esse probet, nulla esse concedes.

4) cf. Pac. vv. 20 sq, 43 sqq., 881 sqq., 962 sqq.; Avium v. 30 sqq.; Vespar. v. 54 sqq.; Acharn. v. 257 sq.; Thesmoph. v. 39; Ranar. vv. 2, 297, 308. Saepius in parabasi quae vocatur chorus spectatores alloquitur, ut in Pac. v. 732 sqq.; Avium vv. 685 sqq., 786 sqq.; Vespar. vv. 1015 sqq, 1071 sqq., 1101 sqq.; Equit. vv. 507 sqq., 565 sqq., 595 sqq.; Nub. v. 518 sqq., 575 sqq., 607 sqq.; Thesmoph. v. 785 sqq.; Ranar. v. 676 sq.

In Acharnensium v. 237 Dicaeopolis cum uxore, filia, servis e domo sua quae in scaena sita est progreditur, ut Dionysia sollemniter celebret. Omnibus ad sacrum pompamque bene praeparatis mater filiam admonet hisce verbis:

πρόβαινε, κἂν τῷχλῳ φυλάττεσθαι σφόδρα,
μή τις λαθών σου περιτράγῃ τὰ χρύσια (v. 257 sq.)

Atque hoc *μή τις κ.τ.λ.* poeta comice alludens de spectatoribus dictum esse vult, cum de choro, quippe qui illis appropinquantibus (v. 240) se abdiderit, cogitari non possit. Unde equidem concludam per orchestram spectatoribus propiorem pompam illam iter fecisse, quam Dicaeopolis Bacchicum cantum incipiens sequitur. Atque hunc fabula procedente denuo de logeo in orchestram descendisse quo loco de hac comoedia accuratius disputabimus nobis demonstrandum erit.

Veniamus ad finem Ranarum, versus dico 1524 sqq. quibus Pluto choreutas in orchestra stantes admonet, ut Dionysum et Aeschylum ab inferis in terram redituros faces praeferentes comitentur. Inde sequitur duos illos histriones in orchestram descendisse ac per sinistram quantum video parodum cum choro theatrum reliquisse [1]).

Videsne quanta licentia praestantissimus ille inter omnes comoediarum scriptores poeta usus sit in rebus scaenicis, cum iam ipsa comoediae natura ferret non eadem severitate qua in tragoediis omnia agi? Sed ne in his quidem loci desunt, quibus eadem statuere equidem non dubito. In Alcestis v. 751 Admetum uxoris corpus exanimatum de logeo per orchestram educendum curavisse eo probatur quod chorus carmen lugubre cantans exsequias prosequitur. Iam Geppertius [2]) bene disseruit illam pompam funebrem splendidiorem spectatoribus speciem in ampla orchestra quam in angusto logeo praebuisse. Neque

---

1) idem placuit Droysenio (p. 57); Schoenbornius (p. 358), qui chorum logeum ascendisse arbitratus sit, omnia depravavit. Nempe melius illi via qua nos volumus in terram redituri fingebantur, quippe cum, quod mox videbimus, et aliis Ranarum locis per orchestram iter ad inferos fuerit. Et conferas Albertum Muellerum l. l. p. 165.

2) über die Eingänge zu dem Proscaenium und der Orchestra des alten griechischen Theaters (Berlin 1842) p. 45.

Schoenbornio (p. 137) concedere possum illum cum funere per scaenae portam, chorum per dextram parodum exiisse, cum per se appareat una ambos egressos esse. Praeterea ex ipso dramate elucet Admetum cum choro rediisse in orchestram, cum verba pronuntiet:

ἰώ, στυγναὶ πρόσοδοι κ. τ. λ. (v. 873 sq.)

atque chorus eum adhortetur:

πρόβα πρόβα· βᾶϑι κεῦϑος οἴκων (v. 885),

quae equidem ad scalarum aditum referam.

Neque porro dubitamus, quin Geppertius (l. l. p. 45) Antigonem per orchestram ad mortem abductam fuisse recte demonstraverit. Nam iam v. 885 Creon ministros admonet:

οὐκ ἄξεϑ' ὡς τάχιστα

atque gravissimas iis minitatur poenas (v. 931), nisi illico imperata faciant. Verum tamen in egrediendo etiam sex versus (vv. 937—42) pronuntians Antigone patriae urbi vale dicit atque ad chori senes postrema verba loquitur. Ceterum nostra opinio eo bene fulcitur, quod nuntium, qui v. 1155 eodem ex loco in quem illa abducta est advenit, per sinistram parodum orchestram intrasse viri simillimum videtur. Neque enim ullo modo explicari potest, unde factum sit, ut Eurydice ex domo progrediens nuntium plane neglegat et ex choro quaerat:

ἀλλ' ὅστις ἦν ὁ μῦϑος αὖϑις εἴπατε (v. 1190),

nisi eum in orchestra versatum tum logeum ascendisse accipiamus cum reginam alloquitur:

ἐγώ, φιλὴ δέσποινα, καὶ παρὼν ἐρῶ,
κοὐδὲν παρήσω τῆς ἀληϑείας ἔπος. (v. 1192 sq.)

Quo modo etiam clarum fit, cur nuntius, antequam prae ceteris reginam de Antigones Haemonisque exitu certiorem facere properet, viginti quattuor versus ad chorum loquatur [1]).

Saepius invenimus orchestrae vias spectare ad loca remotiora ab urbe vel domo regia quam in scaena conspiciebant spectatores, ut in Aeschyli Septem scaenae aditus ad ipsam urbem Thebarum, orchestrae parodos ad septem urbis portas

1) his omnibus cum Geppertio (l. l. p. 28) consentio, contra quem Schoenbornius (p. 78) nequiquam disputabat.

itinera aperuisse nunc comprobabimus. Cuius fabulae chorum virginum per dextram parodum ingressum in logeum ad aram prope Cadmeam positam confugisse iam vidimus (cf. p. 30), quas virgines scaena Eteoclis iussu relicta denuo in orchestra versantes pugnae ante portas tumultus perterret:

τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους
πανδημεὶ πανομιλεὶ
στείχουσιν· τί γένωμαι; κ. τ. λ. (v. 277 sqq.),

unde satis elucet tunc quidem virgines propius quam antea a pugnae loco abesse fingi atque parodos ad septem portas spectare consentaneum videri. Neque equidem dubito, quin nuntii, excepto uno praecone qui v. 989 ex ipsa urbe advenit, in orchestra apparuerint, quam ad rem bene quadrat, quod nuntius qui v. 356 Eteoclem de proeliis ante portas commissis certiorem facturus est iam v. 350 in ingrediendo (per sinistram parodum quantum video) a choro aspicitur[1]). Haec omnia praemisi, ut tibi probem sex illos duces quibuscum Eteocles v. 356 in scaenam ex urbe profectus progreditur deinceps vv. 395, 431, 460, 501, 541 de logeo descendisse et per parodos ad defendendas portas se contulisse, atque eos eadem via v. 700 Eteoclem secutum esse. Proelio finito v. 828 funera fratrum ante portas occisorum per parodum nescio utram in orchestram geruntur, ut Antigonem et Ismenem v. 847 e domo regia processisse et in orchestram descendisse oporteat, quam exeunte tragoedia exsequias cum choro prosequentes per dextram ac sinistram parodum relinquunt.

Iam persuasum habebis non raro chorum in logeum, histriones in orchestram se contulisse, ut coniunctim partes agant. Quae cum ita sint, nihil causae est cur miremur, quod saepius, ut chorum nonnullis in fabulis iam ineunte dramate in logeo apparentem videbamus, ita histriones orchestram demum transgressi in scaenam se contulerint. Geppertius, qui libro suo supra nominato hanc in rem inquisivit, non omnia collegit exempla et multa nobis reliquit, quae nunc clara facere conabimur. Ac primum quidem recordemur, quae de parodorum notione afferat Pollux (IV, 126-27): *τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν*

1) talibus de locis infra plura disputabimus.

δεξιὰ ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει. οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν. εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων quibus ex verbis luce clarius apparet, ut chorum ita histriones, si fabulae postulaverint, per parodos in conspectum venisse [1]). Variae enim sunt causae, quare actores his aditibus usi sint. Per se patet histriones qui una cum choro comparuerint iisdem quibus illum viis, per parodos scilicet, in orchestram progressos esse. Optimum huius rei exemplum Aeschyli Choephorum locus quidam praebet, dico versum 10 et sequentes. Orestes Pyladesque in scaena prope Agamemnonis tumulum versantur: cum videt Orestes chorum mulierum appropinquantem atque inter eas:

καὶ γὰρ Ἠλέκτραν δοκῶ
στείχειν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν πένθει λυγρῷ
πρέπουσαν. (v. 16 sqq.)

Has illi ut evitent, in virgulta prope tumulum sese abdunt (v. 22). Quamobrem pro certo affirmo Electram cum choro ingressam per dextram parodum (nam adveniunt e domo regia quae in proximo tumuli extra scaenam fingebatur) inter chori cantus logeum ascendisse, ut manibus patris in tumulo libet [2]) (cf. v. 77 sq.).

In Philoctetae initio Neoptolemum et Ulixem cum militibus qui chorum conficiunt per sinistram parodum in orchestra apparuisse equidem persuasum habeo [3]). Ulixes metuens iram Philoctetae, quem olim in deserta insula dereliquerit, Neoptolemum prae se mittit, ut antrum Philoctetae, quod in scaena stat, investigetur. Quo fit ut, Achillis filium iam v. 27, Ulixem tandem v. 50 in logeo versantem videamus. Neque enim alio modo

---

1) cf. Albertum Muellerum l. l. p. 166.

2) Schoenbornio auctore (p. 223 sq.) in prima tragoediae parte Agamemnonis tumulum medium scaenae locum obtinuisse arbitramur. Tamen valde erravisse virum doctum, cum existimaret Orestem falsum esse quod sororem inter feminas versantem aspicere sibi finxisset et Electram (ita Godofredus Hermannus Aeschyli edit. tom. II, p. 653) demum paullo ante versum 75 in logeo apparuisse, ipsa Orestis verba satis demonstrant.

3) idem placuit Kolstero (sophocl. Stud. p. 3 sqq).

declarari potest, quo factum sit, ut milites chorici procedente fabula Ulixis consilia non ignorent, nisi eos simul atque illos ineunte tragoedia in orchestram introiisse statuamus[1]).

Similia invenies in Pluti v. 253 quo Carion chorum, quem ex agris eum arcessere iussit Chremylus (v. 202 sq.), per dextram parodum in orchestram inducit[2]). Hunc chori partes agentem ridicule fingit poeta v. 290 quo eum loquentem facit:

καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι ϑρεττανελὸ τὸν Κύκλωπα
μιμούμενος καὶ τοῖν πεδοῖν ὠδὶ παρεισαλεύων ὑμᾶς ἄγειν

Tum (v. 318) Carion logeum ascendit et in domum Chremyli se confert.

In Ecclesiazusarum v. 478 Proxagoram cum chori mulieribus per dextram parodum e contione rediisse ipsa res docet; eandem v. 514 logeum ascendisse est consentaneum.

Eadem de causa Creusam in Ione per sinistram induxerim parodum, quia quae chori partes peragunt ministrae illam v. 185 eadem via antecedunt. Ac ne infirmiore argumento meam sententiam comprobare videar, non omittam Creusam, quae ad templum Apollinis quod in scaena spectatores conspiciebant Delphos peregre adveniat, iam v. 245 a choro Ioni qui in logeo versatur nominari:

παρούσας δ' ἀμφὶ τᾷδ' ἐρωτᾷς.

Atque illam paullatim tantum logeo et Ioni appropinquare eo satis elucet, quod primum quidem Ion intrantem Creusam hisce alloquitur:

γενναιότης σοι καὶ τρόπων τεκμήριον
τὸ σχῆμ' ἔχεις τόδ', ἥτις εἶ ποτ', ὦ γύναι

aliisque per quattuor versus (vv. 246-49) verbis, et tum denique cum propius adest magisque in conspectum venit pergit:

---

1) conferas velim viri doctissimi Leopoldi Schmidtii verba in disputat. de parodi in tragoed. Graec. notione (Bonnae 1855) pag. 27 haec: »*chorum enim quem ab initio dramatis, dum domini procederent, nondum ad mediam orchestram prodiisse, sed a theatri latere mansisse consentaneum, inter huius colloquii verba usque ad Philoctetae antrum adduxit Neoptolemus in cuius speciem media porta est adornata*«.

2) Schoenbornius (p. 296) Carionem cum choro in logeum inducit. Nobiscum consentit Albertus Muellerus l. l. p. 164.

ἔα·
ἀλλ' ἐξέπληξάς μ' ὄμμα συγκλήσασα σὸν
δακρύσας δ' ὑγράνασ' εὐγενῆ παρηίδα
ὡς εἶδες ἁγνὰ Λυξίου χρηστήρια

et reliqua, quibus auditis illa loqui incipit (v. 257). Haec omnia pro certo affirmant Creusam eadem via qua chorum, in orchestra scilicet, apparuisse; neque alia desunt exempla quibus intrantes, antequam ipsi loquuntur, multis verbis ab iis qui in scaena versantur salutantur, unde histriones per orchestram et supra scalas iter fecisse comprobatur. Atque haec Ionis fabula optimum huius rei praebet exemplum versu 404 sqq. quo Xuthum accedentem videt Creusa isque octo versibus post prope uxorem versatur, dum illa satis temporis habeat, ut ab Ione petat, ne cum marito communicet quae inter se collocuti sint. Neque eo difficultatem evitare studeamus, ut Creusam hoc sibi finxisse accipiamus, qui Pollucis testimonio freti tali ratiocinandi modo multos fabularum locos collustrare valeamus.

Eandem praebet speciem Oedipi Regis v. 78 quo sacerdos per chorum certior fit Creontem Delphis profectum advenire, quem septem demum versus post Oedipus salutat: *ξύμμετρος γὰρ ὡς κλύειν*. Neque equidem dubito, quin pastor quem v. 1110 ministri inducunt per dextram parodum prodierit, cum novem versus praemittantur, antequam ille actioni admiscetur. Atque idem statuendum est de Heraclidarum v. 48 quo praeconem per sinistram parodum ingredientem fecerim.

In Oedipi Colonei v. 310 videt Antigone, quae cum patre in logeo versatur, feminam quandam *Αἰτναίας ἐπὶ πώλου βεβῶσαν*, quam v. 319 Ismenem sororem agnoscit. Haec demum v. 324 in scaenam pervenit, ut luce clarius clarescat eam per orchestram equuleo sedentem, quem minister (cuius mentio fit v. 334) conduxerit, in conspectum venisse ibidemque de equo descendentem scalis logeum ascendisse[1]).

1) idem quod nobis Kolstero placuit (l. l. p. 58). Schoenbornius, cum Ismenem per orchestram introducere dubitaret neque equum in ipsa scaena apparuisse statuere conaretur, Ismenem in equo sedentem in conspectum prodiisse denegavit (p. 280). Cui ipsa Antigones verba repugnant. Cetera quae ille afferat vim habere nullam libenter concedes.

In Herculis furentis v. 512 conspicit Megara ex scaena, quo loco cum sene patre filiisque versatur, Herculem peregre advenientem et adhortatur pueros, ut patri obviam eant. Tamen Hercules primum domum regiam salutat his verbis:

ὦ χαῖρε, μέλαθρον πρόπυλά θ' ἑστιᾶς ἐμῆς,
ὡς ἄσμενος σ' ἐσεῖδον ἐς φάος μολών (v. 522 sq.),

tum pergit:

ἔα. τί χρῆμα; τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων
στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα κ. τ. λ.

Theseum v. 1140 non alia via quam per sinistram parodum ingressum esse argumentis comprobari opus non est.

Equitum v. 146 optime nostram sententiam fulcit, nam ingredientem *Ἀλλαντοπώλην* magna voce de logeo Demosthenes servus inclamat:

ὦ μακάριε
ἀλλαντοπῶλα δεῦρο δεῦρ', ὦ φίλτατε,
ἀνάβαινε σωτὴρ τῇ πόλει καὶ νῶν φανείς,

quem ad locum scholiasta (v. 149 Dübn.) adnotat *ἵνα, φησὶν, ἐκ τῆς παρόδου ἐπὶ τὸ λογεῖον ἀναβῇ*, ne dubitemus ille per orchestram in logeum pervenerit [1]).

Ultimum exemplum Lysistrates v. 831 sqq. afferam, quo loco Lysitrate cum feminis in quibus Myrrhine ex scaena, quae arcem Athenarum repraesentabat, virum quendam videt appropinquantem, quem Myrrhine Cinesiam maritum v. 838 agnoscit.

---

1) de hoc loco nobiscum consentiunt Schoenbornius (p. 317) et Droysenius (p. 43). Aliam quidem sententiam profert alius scholiasta (v. 149, 28 sqq. Dübn.) cuius verba absunt a codice Ravennate: *διὰ τί οὖν ἐκ τῆς παρόδου; τοῦτο γὰρ οὐκ ἀναγκαῖον. λεκτέον οὖν ὅτι ἀναβαίνειν ἐλέγετο τὸ ἐπὶ τὸ λογεῖον εἰσιέναι. ὃ καὶ προοικεῖται. λέγεται γὰρ καταβαίνειν.* Hic vero, cum demonstrare vellet, *καταβαίνειν* sollemniter dici pro ingressu in scaenam, quae ipsa fabula postulaverit plane neglexit. Neque enim illis verbis *ἀλλαντοπώλης* admoneri debebat, ut ingrederetur, cum iam antea de eo alter servus (v. 116 sq.) verba pronuntiaret:

ἀλλ' ὁδὶ προοίρχεται
ὥσπερ κατὰ θεῖον εἰς ἀγοράν.

De tertii scholistae verbis: *ὡς ἐν θυμέλῃ δὲ τὸ ἀνάβαινε* conferas quae in p. 25 adn. 3 adscripsimus.

Tum omnes post arcis portam se recipere iubet Lysistrate, prope quam ille demum v. 847 pervenit quo eum illa appellat:

τίς οὗτος οὑντὸς τῶν φυλάκων ἑστώς;

Atque hac in fabula plures solito histriones per orchestram iter fecisse infra accuratius demonstrabimus.

Sed transeamus ad alia. Satis notum est saepissime in fabulis a choro ingressum personarum pronuntiari et histrionibus, qui logeum obtinent, indicari. Unde, cum id permultis locis sollemniter fiat, nihil de via qua illi ingressi sint concludendum esse equidem non nego. Attamen loci non desunt quibus ipsae fabulae postulare videntur, hoc chori usu histriones per orchestram iter fecisse significari. Atque in propatulo est eos qui ingredientes a choreutis multis verbis salutantur in ipso chori spectatorumque conspectu progredientes apparuisse, nam inepti viderentur illi absentem allocuti. Quo saepius accedit, ut ii qui in scaena versantur multo postea quam chorus eos qui intrant conspiciant, et hi in ingrediendo prima verba ad chorum dirigant atque plane neglegant, quae in scaena gerantur. Hanc meam sententiam primum quidem Persarum quodam loco fulciam. Chorus conspicit nuntium v. 246 intrantem:

τοῦδε γὰρ δράμημα φωτὸς Περσικὸν πρέπει μαθεῖν
καὶ φέρει σαφές τι πρᾶγος ἐσθλὸν ἢ κακὸν κλύειν,

et hic versum 248 et sequentes ad chorum loquitur, quem de Xerxis a Graecis accepta clade certiorem facit neque ad Atossam reginam, quae in scaena stat, ante versum 294 se convertit quo interroganti ei respondet:

Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος.

Quod si statim in logeo nuntius apparuisset, haud dubie primum reginam allocutus esset[1]).

In Sophoclis Electrae v. 1428 chorus pronuntiat Aegisthum sese admovere, quem *ἐκ προαστίου* advenire paullo post Electra affirmat. Quo fit ut Orestes Pyladesque timore perterriti, ne ille ante tempus de Clytaemnestrae caede certior factus effugiat, in insidiis subsidere studeant. Atque quod volunt perficiunt, antequam Aegisthus v. 1442 de iis sciscitatur. Sed ne

1) idem placuit Geppertio l. l. p. 21, quem Schoenbornius (p. 77/78) satis redarguere non valebat.

chorum sibi finxisse dicas se appropinquantem illum videre, qui ante v. 1142 in conspectu nondum fuerit, ne neglegas Aegisthum primum quidem chorum alloqui:

τίς οἶδεν ὑμῶν ποῦ ποθ' οἱ Φωκῆς ξενοί;

pluribusque verbis per tres versus, tum Electram in logeo stantem appellare:

σέ τοι, σέ κρίνω, καὶ σέ, τὴν ἐν τῷ πάρος
χρόνῳ θρασεῖαν κ. τ. λ.[1])

Creontem in Oedipi Colonei v. 722 per dextram inducam parodum, quia duodecim versus (vv. 728-39) ad chorum loquitur, et tum denique in logeum progrediens ad Oedipum se convertit[2]).

In Baccharum v. 205 Pentheus inducitur *διὰ σπουδῆς*, quem cum peregre adveniat (cf. v. 208) per sinistram parodum prodeuntem fingam. Qui tandem v. 241 Cadmum et Tiresiam in logeo versantes videt:

ἀτὰρ τόδ' ἄλλο θαῦμα τὸν τερασκόπον
ἐν ποικίλαισι νέβρισι Τειρεσίαν ὁρῶ
πατέρα τε μητρὸς τῆς ἐμῆς, πολὺν γέλων,

quorum per triginta quattuor versus, quos antea pronuntiabat, nullo verbo mentionem fecit.

In Helenae Euripidis scaena spectatores iuxta domum regiam magnum atque altum Protei sepulcrum columnis exornatum intuebantur (cf. v. 548), prope quod Helena assidere solet. Quam Teucer, cum per sinistrae versurae aditum in ipsum logeum v. 68 intret, statim conspicit (v. 71). Eo magis offendit, quod Theoclymenus v. 1164 a venatione cum comitibus domum rediens sepulcrum quidem patris aspicit, sed v. 1176 demum videt Helenam in sepulcri gradibus non sedere. Unde equidem concludam hunc quidem non in ipsa scaena apparuisse, sed per orchestram in logeum pervenisse[3]).

---

1) alterum quoque Electrae locum bene affert Geppertius (p. 10sq.), versum dico 1098 quo Orestem per sinistram parodum advenisse apparet. Schoenbornii quae (p. 76) illi repugnans profert argumenta persuadendi vim non habent.

2) accuratius de hoc loco Kolsterus l. l. p. 60 disputat.

3) mirum in modum Schoenbornius (p. 198) contendit Teucrum non statim Helenam vidisse, sed Theoclymenum illico eam absentem esse animadvertisse, cum res plane contrariae se praebeant.

Idem statuam de ingressu Thesei in Euripidis Supplicum v. 87, qui intrans primum lamenta chori exaudit, cuius unam partem in orchestra, alteram in logeo se tenuisse supra vidimus (cf. pag. 33), tum v. 93 quae in scaena gerantur animadvertit:

ἔα·
τί χρῆμα; καινὰς εἰσβολὰς ὁρῶ λόγων
μητέρα γεραιὰν βωμίαν ἐφημένην.

Neque praetermittamus Orestis locum, quem Geppertius quoque (l. l. p. 14) clarum affert exemplum, versum dico 340 quo chorus octo versibus Menelaum salutat. Hic vero, quamvis de domo regia multa verba proferat, Orestem prope eam lecticula iacentem non videt, sed ex choro quaerit:

καὶ νῦν ὅπου 'στιν εἶπατ', ὦ νεάνιδες,
Ἀγαμέμνονος παῖς, ὃς τὰ δεῖν' ἔτλη κακά (v. 367 sq.)

atque tum denique (v. 377) post Orestis verba ad hunc se vertit. Idemque de Tyndareo v. 450 progrediente statuamus necesse est.

Sed vereor, ne taedium tibi afferam, exspectatione plura hac de re disputans, quare ut in unum tantum locum ceteris omissis mecum inquiras a te petam. Supra de Lysistrate duobus iam locis (in pag. 34/35 et 44/45) agebamus, quam ad fabulam nunc revertamur liceat, ut saepius solito histriones in ea per parodos ingressos esse comprobem. Huius comoediae scaena post versum 253 usque ad finem fabulae arcem Athenarum [1]) repraesentavit, quam mulieres occupatam tenent, ut maritos a bello cum Lacedaemoniis gerendo prohibeant. Supra vidimus (pag. 34) senum in logeum impetum ab alterius chori partis mulieribus fortiter repulsatum fuisse. His confectis intrat Probulus cum ministris et militibus (cf. v. 387), qui per longum tempus cum senibus colloquitur atque demum v. 426 sqq. ministros appellat:

οὐχ ὑποβαλόντες τοὺς μοχλοὺς ὑπὸ τὰς πύλας
ἐντεῦθεν ἐκμοχλεύσετ';

---

1) scaenam post illum versum commutatam esse recte statuebant Schoenbornius (p. 299) et Droysenius (p. 60 sqq.) Niejahrus (l. l. p. 32) semper arcis portam in scaena fuisse maluit.

ut aditum ad arcem vi cogat. Qua re exacerbatae mulieres quae in logeo versantur manus cum Probulo ciusque comitibus congerunt, quos omnes v. 462 in fugam coniciunt. Neque colloquio cum Lysistrate ceterisque feminis facto Probulo contingit, ut in arcem intret, sed v. 613 viri receptui canere coguntur. Quibus ex omnibus equidem concludam Probulum cum suis ceterisque viris per parodum ingressum semper fere in orchestra remanere coactum fuisse, cum mulieres scaenam vel arcem semper occupaverint neque cuiquam viro, uno excepto quem videbamus Cinesia, aditum concesserint. Quod si rectum est, praeconem cum Probulo a versu 980 in orchestra versatum esse vix commemorari debet, atque per se apparet Lacedaemonios et Athenienses, qui tertium quasi chorum conficientes magna turba v. 1076 et v. 1080 accurrunt, in orchestra suas egisse partes, donec Lysistrate *Διαλλαγήν* deam eos ad se in logeum adducere iubet (vv. 1115 et 1120). De fine fabulae supra (in pag. 35) satis disputavimus. Videsne quam ingeniose Aristophanes mulierum a virorum partibus disiunxerit atque illis scaenam, his orchestram attribuerit, cum angusta scaena tot hominibus commodum spatium non praebuerit? Neque enim causam habemus, cur Graecos ampla orchesta usos esse denegemus, si logei spatium non suffecerit.

Vix est, quod exponam sollemnes pompas, quarum nonnullas supra iam attigimus, per orchestram gressum tulisse easque semper fere chorus cantibus vel salutat vel comitatur. De pompa quae finem Aeschyli Septem explet in pag. 40 iam diximus, atque eadem fere in Euripidis Supplicum v. 796 geruntur quo lecticulis corpora septem heroum, qui ante Thebarum portas perierunt, importantur, quibuscum Adrastus intrat, ut oratione funebri mortuorum virtutes praedicet. Atque totam pompam in orchestram transferendam esse iam multitudo actorum deposcit. Neque porro causa est quare funera in logeum portari debuerint excepto uno Capanei, quod Theseus v. 940 in rogo prope domum regiam exstructo cremari iubet. Atque caveas, ne ex eo quod matres mortuorum, quae chori partes agunt, ab Adrasto petant (v. 819 sqq.):

δόΘ' ὡς περιπτυχαῖσι δὴ
χέρας προσαρμόσασ' ἐμοῖς
ἐν ἀγκῶσι τέκνα ϑῶμαι

concludas illas longe a funeribus distare pompamque in logeum inductam esse quod Schoenbornius voluit (l. l. p. 187). Neque enim Adrasti verba:

ἴτ' ὦ τάλαιναι μητέρες τέκνων πέλας (v. 943)

contra nos repugnant, quibus id tantum dicatur matribus propius ad funera, quae iam antea amplecti concupiscebant, accedere licere. Nempe in ampla orchestra satis spatii fuit, ut ipsa pompa quodam intervallo ab illis distaret. Neve neglegas, quod mortuorum corpora tegimentis velata[1]) inferuntur, ut singulae matres suos filios agnoscere non possint, nisi proximae adstantes tegimenta detrahant[2]). Quod, ne recentiores illis addat tristitias, Theseus interdicit (v. 944 sqq.), qui Capanei corpus in logeum, cetera per dextram parodum ex orchestra portanda curat; hac via v. 1119 pueri cum crematis heroum ossibus ad chorum redeunt[3]).

De Alcestis pompa funebri conferas quae in pag. 38/39 attulimus.

Alia quoque exempla inveniuntur quibus histriones in lecticulis importantur; atque eas per orchestram inducere equidem non dubito, cum versurarum itinera parum commodos aditus praebuerint atque istius modi gestationes semper fere magna hominum turba consequatur. In transitu tantum attingamus Trachinianarum versum 964 quo Herculem, quem multi sequntur comites inter quos Hyllus filius et senex quidam, in orchestram per sinistram parodum gestatum fuisse iam eo patet, quod ipse Hercules ad domum suam scaenamque apportari non de-

---

1) cf. nuntii de Theseo verba quae ad funera spectant:
κἄστρωσε γ' εἰνὰς κἀκάλιψε σώματα (v. 770).

2) eandem fere speciem Trachiniarum v. 1076 sqq. praebent, quo loco Hercules Hyllum, quem una cum patre ingressum fuisse nemo negabit, propius accedere iubet, ut *ἐκ καλυμμάτων* corporis vulnera videat.

3) Geppertius p. 41 sqq. pompam quidem in orchestram inducit, sed chorum in scaena versantem fingit, quod falsum esse supra (in pag. 33) vidimus.

siderat, sed in Oeta monte extra scaenam sito mortem obire concupiscit (cf. v. 1191 sqq). In Baccharum v. 1205 Cadmus progreditur cum ministris qui laceratum Penthei corpus in lecticula portant per dextram quantum video parodum. Qui ipse se ex Cithaeri montis silvis advenire dicit (cf. v. 1208) et multis enarrat verbis, quo modo Penthei corpus invenerit. Atque inter haec verba Agaue prope domum regiam in logeo stat (cf. v. 1202 sqq.), quam Cadmus demum v. 1220 conspicatur:

τὴν δ' εἶπε τίς μοι δεῦρο βαχχείῳ ποδὶ
στείχειν Ἀγαύην. οὐδ' ἄκραντ' ἠκούσαμεν.
λεύσσω γὰρ αὐτῆς ὄψιν οὐκ εὐδαίμονα,

haec itaque verba ubi pronuntiat in logeum eum pervenisse apparet [1]).

Eos qui curru vel equo sedentes in conspectum venerint non ipsum logeum intrasse quisque concedet, quod ne Schoenbornius quidem negavit, qui perraro tantum per orchestram histriones inducat. Iam videbamus (in pag. 43) Ismenem in Oedipo Coloneo (v. 310) equuleo sedentem in orchestra apparuisse, atque idem de Xerxis ingressu in Persarum v. 886 statuamus, quem cum Geppertio (p. 37) per sinistram parodum introducam provehentem *σκηναῖς τροχηλάτοισιν* (cf. v. 971/72), quas Godofredus Hermannus [2]) »*carpentum vel harmamaxam*« fuisse optime disseruit. Atque Clytaemnestram in Euripidis Electrae v. 987, eandem in Iphigeniae Aulidensis v. 587

---

1) idem voluit Geppertius l. l. p. 18. Neque equidem dubito, quin et Agaue caput filii summo thyrso infixum gerens v. 1154 eadem via qua Cadmus apparuerit, cum et ea Cithaero profecta sit (cf. v. 1166). Quae cum choro per triginta versus colloquitur, antequam logeum ascendens (v. 1200) quaerit:

ποῦ μοι πατὴρ ὁ πρέσβυς; ἐλθέτω πέλας.

2) in Aeschyli edit. tom. II, p. 258 ad v. 971/72. De introitu Xerxis vir clarissimus haec profert (ad v. 886): »*prodit Xerxes, regio ornatu, cum satellitibus, quorum unus vestem, quam in bello gestaverat, et arma tenet. Non enim squallidum et lacerum producere Aeschyleum est. Ideo monuerat Darius Atossam, ut filio dignum ornatum ferens obviam iret: quod factum esse extra scaenam apparet. Aliter ista de veste Xerxis lacerata inepte dicta essent.*« Quae Schoenbornius (p. 195 sq.) contra haec disputat nullius momenti sunt.

cum Iphigenia parvuloque Oreste, Andromacham in Troadum v. 569 curribus in orchestram invectas esse facile est intellectu[1]).

Diutius commoremur in Agamemnonis quodam loco, versum dico 749 et sequentes, quo Agamemnon Troia deleta cum multo magnoque comitatu in patriam rediens fingitur. Hic itaque per pompam triumphalem una cum Cassandra in orchestram curru provehens primum a choro viginti octo versibus (vv. 749-76), tum a Clytaemnestra multis verbis salutatur; quibus absolutis tandem uxor ab eo petit, ut in domum regiam se conferat:

νῦν δέ μοι, φίλον κάρα
ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε (v. 872 sq.)

atque ministras quae sequuntur iubet:

δμῶαι, τί μέλλεθ', αἷς ἐπέσταλται τέλος
πέδον κελεύθου στρωννύναι πετάσμασιν; (v. 875 sq.),

quae verba aperte quadrant ad scalas illas orchestram cum logeo coniungentes[2]). Aliis quoque fabularum locis de ascensu ad logeum agitur, ut in Ionis v. 735, cum Creusa paedagogum senem admonet:

ἔπαιρε σαυτὸν πρὸς θεοῦ χρηστήρια,

isque respondet:

ἔλχ' ἕλκε πρὸς μέλαθρα καὶ κομίζέ με
ἀπεινὰ δέ μοι μαντεῖα (v. 746 sq.),

quae inter verba ambo supra scalas logeum ascendunt et ad templum perveniunt[3]).

In Aristophanis Vesparum v. 1326 Philocleonem cum tibicina per dextram parodum in orchestram prodiisse ex ipsa

---

1) accuratius de his locis disputabat Schoenbornius in pag. 204, 231 (= Geppert. l. l. p 39), et pag. 238, 39.

2) Schoenbornius (p. 163 sq.) et Geppertius (p. 37/38) plane nobiscum consentiunt. Atque Genellius, qui primus fere quamvis maiore cum ingenio quam diligentia libro de Atheniensium theatro (Berl. u. Leip. 1818) res scaenicas tractabat, eadem de hoc loco protulit (l. l. p. 176 sqq.).

3) idem invenies apud Geppertium (p. 28/28) atque Kolsterum (l. l. p. 15 sq.), qui optime disseruit hoc loco de scalis quibusdam quae in logeo ad templum aditum praebuerint, quod Schoenbornius voluit (p. 79 et 177), cogitari non posse.

fabula concludamus necesse est. Ille enim primum quidem v. 1329 sqq. chorum adhortatur, ut e via discedat, tum logeum ascendens tibicinam appellat:

ἀνάβαινε δεῦρο χρυσομηλολόνθιον
τῇ χειρὶ τουδὶ λαβομένη τοῦ σχοινίου
ἔχον· φυλάττου δ' ὡς σαπρὸν τὸ σχοίνιον
ὅμως γε μέντοι τριβόμενον οὐκ ἄχθεται (v. 1342 sqq.)[1])

Unde sequitur, ut et Xanthias (v. 1292) et Bdelycleon (v. 1332) eadem via ingrediantur.

Secunda nobis fortuna talis scaenae simulacrum quaedam vasis pictura[2]) memoriae tradidit, in qua depictas videmus scalas quattuor gradus exhibentes logeo appositas et in iis versantes histriones tres, quorum duo tertium cui nomen Chironis adscriptum est in logeum trahunt vel promovent.

Sed ut ad finem opusculi appropinquemus, nunc quasdam comoediarum scaenas afferre liceat quibus histriones diutius solito in orchestra partes peragunt, veluti ineunte Avium fabula. Peisthetairum et Euelpidem longum per tempus ambulantes videmus ut ad upupae nidum, qui in scaena fingebatur, perveniant; quos ante versum 50 in logeo versatos esse vix statui possit[3]). Neque enim longum iter facientes omniaque perscrutantes melius fingebantur, quam si amplum orchestrae spatium permeantes cernebantur.

1) valdo miror, quod Droysenius (l. l. p. 48) Philocleonem per scaenae portam, tibicinam per orchestram inducat, cum vv. 1345 sq. et 1368 sq. postulant eos coniunctim in conspectum venisse.

2) quam invenies in Baumstr. monum II, p. 820, Geppertii de antiqua Graec. scaen. libri tabul. V, Panofkae l. l. tabul. VII, Wieseleri monum. scaen. tabul. IX, 13, qui contendebat (l. l. p. 61) hoc loco non scalas ex orchestra in logeum ascensum praebentes, sed quales in ipso logeo adhibuerint histriones, depictas esse; quae quidem argumentis satis comprobare ipse omisit. Atque primo obtutu parum probabile dixeris scalas tam crassis ligneis trabibus exstructas quales nostrae exhibent in ipso logeo ad domus quae in scaena stabant appositas esse (tales invenies in Wiesel. l. l. tabul. IX, 11 et 12).

3) novissimum consentit Droysenius (p. 58) qui v. 52 eos logeum ascendentes facit. Schoenbornius (p. 318 sq.) sine causa quandam fabulae partem in alto actam fuisse atque illos rupes in scaena depictas ascendisse statuit.

De Pluti initio pro certo affirmare non ausim, num Cario et Chremylus cum Pluto peregre advenientes per orchestram progressi sint. Quod equidem maluerim, quoniam illi demum v. 230 ad domum Chremyli in scaena exhibitam se vertunt, atque Carionem eadem via, per orchestram scilicet, exiisse, ut chorum arcessat (v. 228), qua v. 253 cum choro redeuntem supra videbamus (cf. pag. 42), veri simillimum videtur. Sed haec in dubio relinquamus, ut de Ranarum re scaenica certiora proferamus. Fabula ineunte Dionysum cum Xanthia asino vehente in orchestra versatum esse sumamus necesse est. Nam primum quidem haud infirmum nobis affert argumentum quod asinus inducitur, cui vix spatiosus aditus per versurarum itinera fuerit[1]). Tum vero poeta illos per longum tempus in itinere versantes facit, ut demum v. 35 Dionysus ad domum Herculis in scaenam pervenerit. Neque neglegendum est Xanthiam in ingrediendo de spectatoribus verba proferre, ab his igitur tum eum proxime abfuisse consentaneum videtur. Iuxta Herculis domum in scaena spectatores intuebantur lacum Acherusium, cuius ad ripam Dionysus (v. 180) se confert. De ceteris quae sequuntur optime Droysenius (l. l. p. 73 sqq.) disputavit, ut haec omissa faciamus atque id tantum statuamus Xanthiam v. 197, Dionysum cum Charone navi vehentem v. 270 e logeo evanuisse. Tum Dionysus et Xanthias denuo ambulantes describuntur, ut ad Plutonis domum se conferant, itaque eos usque ad versum 440 in orchestra degisse equidem persuasum habeo. Nam cum scaena a versu 270 in Plutonis domum commutata esse[2]) sine dubio dicenda sit, histriones logeum

1) Vesparum v. 179 sq., quem locum Schoenbornius (p. 353) affert, ut asinum hic quoque in logeo apparuisse comprobet, plane aliam praebet speciem, cum illo quidem loco per scaenae frontis portam ex stabulo prope domum bestia illa producatur et paullo post abducatur, quae hic vero per versurae aditum inducenda esset neque ante versum 34 abduci posset.

2) cum Droysenio (p. 72 sqq.) et Schoenbornio (p. 351 sqq.) in prima fabulae parte in scaena domum Herculis et lacum Acherusium depictum fuisse accipio. Navigatione illa incipiente usque ad versum 270 scaenam ductilem quam nostrates »*Wandeldecoration*« appellant usitatam fuisse Droysenius (p. 72) sagaciter exposuit. Niejahrus quidem semper eandem scaenam remansisse nimis audacter contendit,

inane reliquisse statuamus oportet. Neque porro ipsius fabulae testimonium deest confirmans illos per longum tempus per orchestram migrasse, versus scilicet 297 quo Dionysus timore monstrorum, quae Xanthias se aspicere simulat, ad sacerdotem suum, cuius sellam inter primas spectatorum sedes collocatam fuisse satis constat[1]), confugit:

ἱερεῦ, διαφύλαξόν με, ἵν' ὦ σοι ξυμπότης,

quod refugium v. 307 relinquit et in orchestram redit[2]). Deinde choro v. 324 ingresso Dionysus et Xanthias cum choreutis in orchestra saltarunt, id quod e versu 414 sq. concludo. Tum per eos certiores facti, ubinam domus Plutonis invenienda sit, ambo illi in logeum redeunt, quo v. 460 ante domus portam consistunt. De fine fabulae supra (in pag. 38) satis disputavimus.

---

nam »*credunt spectatores iussu poetae, nudum proscaenium esse lacum, domum Herculis prorsus neglegunt*« (pag. 17).

1) quae in Dionysi Athenis theatro medium infimi sedum ordinis locum obtinet; cf. Albertum Muellerum l. l. p. 93 sqq. adnot 8 et pag. 94, Vischerum in neues schweiz. Museum 1863, p. 46.

2) scholiastae de hoc loco (v. 297 Dübn.) varia proferunt: quattuor codices, in quibus Ravennas et Venetus hoc scholion exhibent: *ἱερέως τινὸς ἀκολουθοῦντος αὐτῷ μέμνηται*, quae ad verba alius adnotat (Dübn. 297, 45 sqq.): *οἱ δέ φασιν ἄτοπον εἶναι νομίζειν ἀκολουθεῖν αὐτοῖς ἱερία. μὴ γὰρ ἐμφαίνεσθαι. τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχειν. οἱ μεγάλοις κακοῖς περιπίπτοντες πρὸς ἱερεῖς ἐρχόμενοι, ἱκέτευον αὐτοὺς εὐχὰς ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖσθαι εἰς ἀπαλλαγήν. κατὰ οὖν μίμησιν ἐκείνων καὶ οὗτος νῦν λέγει. ἔχειν δέ φασι καὶ λόγον εἶναί τινος τὸν στίχον ποιητοῦ νῦν διασυρόμενον.* Unus Venetus haec verba exhibet (Dübn. 297, 41): *παρὰ ταῖς θείαις προεδρίᾳ ἐτετίμητο ὁ ἱερεὺς τοῦ Διονύσου. πρὸς συνήθειαν οἷν καλεῖ ὁ Διόνυσος τὸν ἱερέα κ. τ. λ.* Droysenius (p. 73/74), Hoepkenius (p. 9), Schoenbornius (pag. 356) illos in scaena ambulantes fingunt. Nobiscum consentiunt Genellius (l. l. p. 279) et Iohannes Gustavus Droysenius (Aristoph. übersetzt. III, p. 436) [Schoenbornio testante et Seegerus (in transversione sua) et Meierus (comment. I, p. 12), quorum in libros inspicere non poteram], qui nobiscum in quarti scholiastae verbis (Dübn. 297, 34 sqq.) nituntur hisce: *ἐν προεδρίᾳ κάθηται ὁ τοῦ Διὸς ἱερεύς. ἀποροῦσι δέ τινες, πῶς ἀπὸ τοῦ λογείου περιελθὼν καὶ κρυφθεὶς ὄπισθεν τοῦ ἱερέως τοῦτο λέγει. φαίνονται δὲ οὐκ εἶναι ἐπὶ τοῦ λογείου, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ὀρχήστρας, ἐν ᾗ ὁ Διόνυσος ἐνέβη καὶ ὁ πλοῦς ἐπετελεῖτο, ὥστε μηκέτι ὁμοίως λόγον εἶναι, ἀλλὰ μὴν οὐ διὰ παντὸς ὄπισθε δεῖ γενέσθαι αὐτόν.* Haec postrema verba, quibus orchestram lacum Acherusium finxisse comprobatur, quod et Genellio (l. l. p. 274) placuit, haud dubie falsa esse Schoenbornio libenter concedo.

Omnium dramatum quod ultimum mecum perscruteris, Acharnenses vel maxima ex parte in orchestra peractos fuisse nunc tibi probem. Prior fabulae pars usque ad versum 203 in Pnyce Athenis acta est, qua de re omnes viri docti consentiunt. Hinc est quod Schoenbornio (p. 307) Pnycem prope sinistram scaenae frontis portam depictam esse placuit, mediae portae locum obtinuisse Dicaeopolidis, dextrae Lamachi domum, denique prope dextram periactum Euripidis aedes cum parte Athenarum urbis conspexisse spectatores; atque hanc scaenam semper eandem per totam fabulam remansisse vir doctus existimavit. Sed primum quidem valde erravisse Schoenbornium, cum Dicaeopolidem rustica Dionysia non in pago suo, sed in ipsa urbe celebrare voluisse statueret, optime Hauptius (opuscul. II, 460) demonstravit, ita ut scaenam primum quidem post versum 203 in praedium Dicaeopolidis Acharnis situm commutatam esse suadente Droysenio (l. l. p. 30) primo obtutu paene necessarium dixeris. Tum vero equidem causam non video, quare per totam fabulam Euripidis domum in scaena stetisse accipiamus, cum tantum per octoginta sex versus (vv. 393-478) hunc in locum actio transferatur atque fabula procedente ne uno quidem verbo huius aedificii mentio fiat. Praeterea omnia a versu 719 usque ad finem fabulae ante domus Dicaeopolidis et Lamachi Athenis fieri omnes quantum scio viri docti pro certo affirmant, excepto uno Droysenio, qui nequiquam comprobare studebat (p. 32 sqq.) a versu 203 totam fabulam Acharnis ante Dicaeopolidis praedium actam fuisse, iuxta quod in eadem scaena Lamachi Athenis domum collocatam fuisse nimis audacter contendere ausus est. Tantam licentiam ne Aristophani concedamus, praeferamus potius Hauptii Niejahrique (p. 30) sententiam, quae fuit semper eandem remansisse scaenam atque benevolos spectatores hanc scaenam primum quidem pro domo Dicaeopolidis Athenis, deinde pro praedio eius Acharnis sito, tum denique rursus pro loco priore accepisse iubente poeta. At tali ratiocinandi modo ipsae difficultates non diluuntur. Videamus potius, quae ex ipsa fabula de re scaenica concludere possimus. Ac primum quidem contionem in Pnyce habitam fingi videmus, quem in locum v. 40 prytanibus ducibus non parva hominum turba se confert. Per se apparet Atheniensium contionem non per paucos tantum

actores imitari debuisse poetam, ita ut praeter Dicaeopolidem, Amphitheum, praeconem, *τοξότας* (v. 54), legatos (v. 61), *τὸν βασλέως ὀφθαλμόν* (v. 92), Theorum (v. 134), Thracum exercitum (v. 156) etiam nonnullos alios actores praesto fuisse credamus opus sit. Sed tantae hominum multitudini angustum logeum aptum spatium non praebuit, ut equidem pro certo habeam in orchestra Pnycem fuisse, quod etiam Genellio (l. l. p. 257 adn. 13) placuit. Quem in locum Dicaeopolidem e domo sua, quae medium scaenae locum per totam fabulam obtinuerit, ineunte dramate descendisse eodemque omnes qui in contione versantur per dextram parodum se contulisse crediderim. Atque Amphitheum Lacedaemone reversum per sinistram parodum inducam (v. 175), qui cum illo usque ad versum 203 colloquitur; deinde Amphitheus per dextram parodum in urbem festinat, ut Acharnensium chorum effugiat (cf. v. 203: *ἐγὼ δὲ φεύξομαί γε τοὺς Ἀχαρνέας*), Dicaeopolis in logeum se confert (v. 202: *ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια*). Post hunc versum Droysenius aliique scaenam in praedium Dicaeopolidis Acharnis situm commutatam esse arbitrati sunt, quod equidem concedere non possum, cum commutandi causam non videam. Nam chorum Acharnensium, qui v. 204 ingreditur, in consectando Amphitheo versantem apparere nemo negabit, quippe cum ipse dicat:

ἀλλὰ δεῖ ζητεῖν τὸν ἄνδρα καὶ βλέπειν Βαλλήναδε
καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς, ἕως ἂν εὑρεθῇ ποτέ (v. 235 sq.),

itaque tum quidem actionis locum ipsam Athenarum urbem fuisse statuamus necesse est. Quid porro? Ego quidem chorum per dextram parodum Amphitheum tum sectaturum fuisse credo cum subito Dicaeopolis cum uxore, filia, Xanthia servo e domo progreditur; ibi vero choreutae, ne illis in conspectum veniant, ab incepto desistunt seque abdunt. Sed placuit viris doctis domum ex qua illi progrediantur praedium esse Dicaeopolidis Acharnis situm propterea, quia is antea dixerit se rus abire velle, ut *τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια* celebret. Quid tamen vere agitur? Exeunt sane filia cum corbulo, Xanthias cum phallo, ut omnia ad sacrificium bene praeparata videantur. Neque tamen Hauptium (l. l. p. 464) fugit de ipsa sacrificii actione nihil inveniri: »*iam expectamus*, inquit, *sacrificium peractum iri* (post

versum 246 scilicet). *Sed ne illud quidem fit, immo Dicaeopolis de pompa loquitur, filiam canistrum quod modo deposuit pulchre portare, servos phallum post filiam rectum ferre, uxorem pompam de tecto aspicere iubet et deinde procedentem pompam cantans sequitur*[1])«. Nihil profecto de sacrificio dicitur, sed tantummodo omnia ad pompam sacrificio antecedentem quadrant, qualem saepius iter per orchestram fecisse supra novimus. Sed dicas forsitan Dicaeopolidem in orchestra sacra facere in animo habuisse atque ab incepto per Acharnenses proruentes esse impeditum. Sed haec opinio eo refellitur, quod filia cum Xanthia v. 280 quo impetus chori in illum fit iam e conspectu evanuerunt, quandoquidem de his ne unum quidem verbum postea profertur. Quae cum ita sint, equidem pro certo affirmem hac in scaena Dicaeopolidem cum suis, omnibus ad festum bene praeparatis, ex ipso urbico domicilio profecturum fingi, ut solemni pompa per orchestram rus se conferat ibidemque postea Dionysia rustica celebret[2]), atque filiam et Xanthiam eodem tendentes per sinistram parodum egressos disparuisse. Quod si probes omnia perlucida fiunt, et unam eandemque scaenam semper per totam fabulam medio quidem loco Dicaeopolidis, prope dextram portam Lamachi Athenis sitas domus praebuisse consentaneum est. Iam vero in Dicaeopolidem orchestram permeantem choreutae proruentes impetum faciunt (v. 280), quibuscum ille multa verba facit (usque ad versum 384), dum logeum ascendit, ut ab Euripide ornatum habitumque tragicum petat. Atque necesse est paullo ante versum 393 sinistra

---

1) qua de causa viro docto placuit vv. 244-46 hoc loco eiciendos et post versus 251 verba *στρατιᾶς ἀπαλλαχθέντα* inserendos esse (cf. Haupt. l. l. p. 465), quo tandem loco sacrificium inceperit. Sed verba quae mater ad filiam (v. 253 sq.) dirigit plane demonstrant tum quoque de pompa dici, ut suo loco illos versus, quibus ultimae sacrificii praeparationes fiant, stare equidem persuasum habeam.

2) neque enim quae carmen Bacchicum cantans Dicaeopolis pronuntiat verba:

ἕκτῳ δ' ἔτει προοιτῖπον ἐς
τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄοικος (v. 266/67)

contra me repugnant, quae ita vertam:

sex annis praetermissis te invoco libenter in pagum rediens.

periacto versa [1]) domum Euripidis in conspectum venisse, cuius in conclavi sedens tragicus poeta portis apertis v. 409 spectatoribus in conspectum venit, qua de re Schoenbornius optime disseruit (p. 312). Tum post versum 479 retroversa periacto Euripidis domus e conspectu evanescit, quippe cuius postea mentio nulla fiat, atque Dicaeopolis paullatim e logeo in orchestram redit [2]). Denique hunc oratione habita post versum 563 quo denuo pars choreutarum eum aggreditur, in logeum confugisse statuam; Lamachum enim v. 572 e domo sua progredientem statim ille appellat et auxilium ab eo petit. Reliqua vero huius fabulae per se perspicua sunt.

Haec habui quae de ipsis fabulis deque tota re scaenica poetarum Atticorum proferam. Atque histriones saepius quam primo appareat obtutu eodem loco quo chorum versatos esse iam satis persuasum habebis. Neque tamen Pollucis illa verba, histrionum scaenam, orchestram chori propriam fuisse, falsa esse contendimus, quoniam maxima ex parte histriones et chorum sane seorsum sua peregisse atque histriones in orchestra, licet saepius transierint, tamen raro tantum diutius remansisse ipsae fabulae demonstrant.

---

1) quo de loco scholiasta haec adnotat (Dübn. v. 391) *μεταβολὴ γέγονε τόπου ὡς ἐπὶ τὴν οἰκίαν Εὐριπίδου.* Atque conferas Pollucis de periactis verba (IV, 126): *εἰ δὲ ἐπιστραφείεν αἱ περίακτοι, ἡ μὲν δεξιὰ μὲν ἀμείβει τόπον* (hanc retineam lectionem cum Alberto Muellero l. l. p. 163 adn. 1, quam Bekkerus correxit in *τὸ πᾶν*, quod sensum non praebet), *ἀμφότεραι δὲ χώραν ὑπαλλάττουσιν* (qua de causa nos quidem dextram quam Pollux vocat sinistram appellemus periactum, in p. 13 adn. 1 disseruimus), quae verba optime nobis auxiliantur, nam *τόπος* hoc loco commutatur.

2) cf. v. 480:

ὦ Θύμ', ἄνευ σκάνδικος ἐμπορεύτεα.

et versum 483:

πρόβαινε νῦν, ὦ Θυμέ· γραμμὴ δ' αὕτηί.

De his *γραμμαῖς* agitur apud Hesychium s. v.: *ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ ἦσαν, ὡς τὸν χορὸν ἐν στοίχῳ ἱσταοθαι* et apud Eustathium Il. I, 525 pag. 772, 7: *καὶ ὅτι ὥσπερ ἐν τοῖς δρομεῦσιν οὕτω καὶ ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ γραμμαί τινες ἐγίνοντο, ἵν' ὁ χορὸς ἑστῆναι κατὰ στίχον.*

Index.

pag.

Praefatio . . . . . 1—2

Pars prior: de scaena orchestraque Graeci theatri restituenda . 3—27

1. contra Kaweravium . . . . . 3 - 9
2. qua de causa vetustioribus temporibus tam alto et angusto scaenae pulpito Graeci usi fuerint . . . . . 9—10
3. de scaenae aditibus . . . . . 10—12
4. de parodis 13
5. excursus de Vitruvii Pollucisque fide . . . . . 13—15
6. de thymele: . . . . . 15—27
   a. de Godofredi Hermanni orchestrae pulpito . . . 15—16
   b. in Wieselerum . . . . . 16—24
   c. nostra de thymele sententia . . . . . 25—27

Pars altera: quid ex ipsis fabulis de Graecorum rebus scaenicis concludendum sit . . . . . 28—58

1. chorus in logeo . . . . . 28—35
2. histriones de logeo in orchestram descendunt . . . 35—40
3. histriones per parodos ingressi orchestram transeunt: . 40—52
   a. una cum choro intrantes . . . . . 40—43
   b. qui in ingrediendo multis verbis de logeo salutantur . 43—45
   c. quorum ingressus a choreutis pronuntiatur . . . 45—48
   d. qui magna pompa inducuntur . . . . . 48—49
   e. qui lecticulis importantur . . . . . 49—50
   f. curribus vel equis advehentes . . . . . 50—51
   g scalis logeum ascendunt . . . . . 51—52
4. histriones diutius solito in orchestra commorantur: . . 52—58
   a. de Avium et Pluti initio . . . . . 52—53
   b. de Ranarum } re scaenica . . . . . 53—54
   c. de Acharnensium } re scaenica . . . . . 55—58

VITA.

Natus sum Fridericus Harzmann Halis Saxonum a. d. XIV Kal. Septembres a. h. s. LXV patre Augusto, matre Paulina e gente Senff, quibus adhuc viventibus valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Puer saepius cum parentibus sedes ac domicilium mutavi, ut litterarum elementa in oppidis Liegnitz et Gumbinnen discerem atque Oldenburgensi et ab anno h. s. LXXVII usque ad LXXXIV Bremensi gymnasio discipulus adessem. Eius anni autumno maturitatis testimonium assecutus Erlangensem academiam adii, ubi in philologiae studium incubui atque scholis doctissimorum virorum I. Muelleri, Luchsii, Steinmeyeri, Flaschii et per annum seminario I. Muelleri sodalis interfui. Vere a. h. s. LXXXVI Berolinum me contuli, ubi lectiones frequentavi quas habebant viri clarissimi Kirchhoff, Iohannes Schmidt, Roediger, Schroeder, Zeller, Dilthey, Curtius, Furthwaengler, Treitschke, Delbrueck, Aegidi, Stein. Anno et sex mensibus post Marburgensem academiam adii, ubi per annum auditor et discipulus fui doctissimorum virorum Birtii, cuius summam ergo me bonitatem semper grato animo retinebo, Leopoldi Schmidtii, cui permultum debeo, Cohenii, Achelis, Lucaei, Stoschii, et seminariis affui rectoribus Schmidtio, Birtio, Lucaeo, quibus quam maximas et nunc habeo gratias et semper habebo

MAR 26 1910.

Class 1648.89
Quaestiones scaenicae.
Widener Library
001946548
3 2044 081 361 222